IGNATII WILCZEK
CARMINA.

NOVA EDITIO

ALTERA SUI PARTE AUCTIOR
ET EMENDATIOR.

SUPERIORUM PERMISSU.

CALISSII,
Typis Suae Celsitudinis Primatialis Archi-Episc: Gnesnensis.
M. DCC. LXXX. V.

IGNATII WILCZEK
CARMINUM

PARS PRIMA.

I. DE DEO UNO.
II. DE DIVINA PROVIDENTIA.
III. DE ANIMA IMMORTALI.
IV. DE RELIGIONE.
V. DE VIRTUTE.

Vani autem ſunt omnes homines, in quibus non ſubeſt ſcientia DEI, & de his, quae videntur bona, non potuerunt intelligere eum, qui eſt, neque operibus attendentes, agnoverunt, quis eſſet artifex. Sed aut ignem, aut ſpiritum, aut citatum aerem, aut gyrum ſtellarum, aut nimiam aquam, aut ſolem & lunam, rectores orbis terrarum deos putaverunt. Quorum ſi ſpecie delectati, deos putaverunt: ſciant, quanto his Dominator eorum ſpecioſior eſt: ſpeciei enim generator haec omnia conſtituit. Aut ſi virtutem, & opera eorum mirati ſunt: intelligant ab illis, quoniam qui haec fecit, fortior eſt illis: a magnitudine enim ſpeciei & creaturae cognoſcibiliter poterit Creator horum videri.

Sapientiae XIII. 1. 2. 3. 4. 5.

DEUS UNUS.

CAELORUM terraeque Sator, Rex Maxime Regum,
Principium, Fons, Summa, Caput, genus omne bonorum
Cujus ad arbitrium caeco demersus inani,
Existit e nihilo mundus: stat firmus in annos;
Et quoadusque voles, stabit: ruiturus eodem;
Unde potente tua dextra, fuit erutus olim,
Absque mora minima puncto, quo jusseris, omni!
Te mare, Te tellus, Te lucida sidera caeli,
Te stirpes, volucres, pisces, animantia bruta
Concelebrant, dextraeque tuae praeconia promunt.
Artificem Te cuncta suum venerantur, & ore
Uno testantur, manuum se opus esse tuarum.
Qua croceos Sol torquet equos, qua sidera gyrant;
Qua mundanarum rerum patet aureus ordo;

Ambitus immenſi, qua ſeſe porrigit orbis;
Nota tua eſt Virtus, Bonitas, Sapientia ſumma:
Omnibus hiſce plagis, monumenta perennia celſi
Conſilii, Mentiſque tuae decora inclyta fulgent.
Omnibus hiſce tuum magnum & venerabile Nomen
Viſitur inſcriptum ſpatiis, & gloria claret;
Magnaque ubique Tui nobis occurſat imago!
Non equidem licet exactam depingere cuiquam
Magne tuam DEUS! effigiem; ſed imaginis umbram
Pingere nil prohibet. Non eſt fas differre apte:
Balbutire tamen de Te non prorſus inepte
Fas eſt, o Nomen! cuivis, decet imo juvatque.
Grande argumentum; DEUS! & ſublimius omni
Ingenio noſtro, nedum enarrabile verbis;
Si ſpectes ejus naturam: ſed DEUS exſtans
Clarum argumentum nimis, & proclive probatu:
Unum argumentum; quod oportet noſcere cunctos,
Et poterunt omnes; ſed multi noſſe recunat:
Cum nil ſcire magis deberent velle, priuſve.
Spiſſae namque, DEI ſine cognitione, tenebrae
Sunt artes omnes: caligo, ſcientia quaevis;
Deteriorque hominis ſors, conditione ferarum eſt.
Vilis, & abjecta eſt pecudum natura, ſtatuſque
Abſque DEI ſenſu; Verique Bonique ſupremi;
AEqua tamen vita eſt: quoniam cognoſcere Numen
Non poſſunt. Homines, at enim, cum noſcere poſſint;
Id,

Id, ſi non noſcant; aut ſi cognoſcere nolint:
Quam bonus eſt DEUS: illorum tam perdita ſors eſt.
Hos ego de tanti ſceleris gravitate monebo,
Et primum Veri fontem cognoſcere cogam,
Atque repugnantes non uno teſte revincam.
Oſtendam ſiquidem multis rationibus; Unum
Vi ſumma certo debere exiſtere Numen:
Si modo ſedatis animis momenta revolvant
Summi momenti, ſibi demonſtrantia Verum.
Tu! Sacroſancto cujus pro Numine, quondam
Totus in excordes terrarum armabitur Orbis;
Pro Te pugnantem, validis rationibus arma!
Eſt DEUS: exiſtit Mens praeſtantiſſima: ſummus
Arbiter exiſtit: Mundi Fabricator & Auctor
Exſtat: Principium primum, Finiſque ſupremus:
Fons ſine fonte ſcatens: Vita, & vitalis Origo:
Omnia qui per ſe; ſed & omnia continet in ſe.
A nullo pendens, non indigus ullius; Ipſe
Omnia ſufficiens cunctis; & ſemper abundans:
Deficiens nullo; ſe feliciſſimus Uno:
Per loca, perque plagas late, ſic pertinet omnes:
Totus ut in toto ſpatio ſit, & integer omni
Parte loci: Caelo, terra non clauditur uſquam:
Nullis naturae propriae, dotumque ſuarum
Vallatur ſeptis, parte infinitus ab omni.
Qui pietate ſua totum complectitur orbem,

Et Bonitate sua servat, fovet, atque gubernat:
Major eo; qualem depingere mente valemus,
Omnibus ingenii collectis viribus una.
Impia colluvies! Epicuri foeda propago;
Vecordes animae; servum pecus illecebrarum!
Quid delere DEI necquiquam pergitis alte
Mentibus impressam speciem, & vestigia sancta
Numinis, in rebus casso contenditis ausu
Obterere; haecque videre palam, vos posse negatis?
Si quid adhuc rationis inest: scintilla refulget
Si qua animis vestris etiamnum luminis ejus;
Quod DEUS accendit vestris in mentibus, inde,
Ex quo, intellectum rerum coepistis habere:
Vel tenuis lux ista sat est, ad aperta legenda
Infinita, quibus, circum sumus undique septi
Numinis exstantis vestigia: mentibus ultro
Jlla vel invitis se obtrudunt, seque vel ipsis
Sensibus externis ultro noscenda propinant.
Omnibus in rebus, fas est inquirere cuivis,
Fas reperire DEUM. Nec enim sine teste reliquit
Semet multiplici: quot res; monumenta tot exstant
Artificis summi: totidem proin firma supersunt
Argumenta, quibus certo DEUS esse probatur.
Totum hoc quod sumus: hocque in quo sumus; esse supremũ
Numen demonstrant, unumque exstare necesse
Evincunt; a quo valeant existere, & exstent

Haec

Haec, quaecunque ita ſunt, ut non exiſtere poſſint.
Scilicet eſt vaſtum quoddam Natura, volumen
Quo mera ſigna DEI praeſentis ubique notantur,
Miraque conſilii Divini ſenſa leguntur.
Mundus hic immenſus; liber eſt nitidiſſimus, inquam,
Quem Divina manus noſtros conſcripſit in uſus.
Doctis & rudibus, liber iſte perinde legendus.
Quantumvis ſit hebes; quantumvis tardus inerſque:
Si tantum eſt aliquo rationis praeditus uſu:
Tot, tantiſque notis, poterit deprendere certo
Auctorem mundi. Scelus eſt non quaerere preſſis
Uſque adeo, indiciis illum: quem quaerere; noſtra eſt
Cura, laborque unus: quem noſſe; ſcientia ſumma:
Quem reperire; ſcopus: deamareqne, vita beata,
Summaque votorum eſt, animae ratione fruentis!
Ad quem res ducunt omnes. Dubitare tot inter
Argumenta: exſtetne DEUS? capitale piaclum eſt;
Non ulla dignum venia, nulloque colore!
Auſum immane; DEUM tot contra ſigna negare;
Non ſatis aeternis poenis, & morte piandum.
Numen, nemo quidem poterit comprendere mente,
Nec tamen idcirco, quis, jure negaverit illud.
Non ſecus, ac mentis motus atque intima ſenſa,
Quid ſint; haud penitus pernoſcere poſſumus: iſta
Attamen in noſtris animis exiſtere, nullus
Inficiari auſit; niſi ſit ſtultiſſimus idem:

Haec-

Haecque negans, malit ſibimet contrarius eſſe,
Da ſiquidem, temere in dubium ſua ſenſa vocantem:
Iſte, vel his dubiis, ſibi ſenſa probabit ineſſe,
Quin tamen illorum naturam noſcat aperte.
Siſte virum, internos actus exſtare negantem:
Faxo, quod ore negat; facto ſimul adſtruat iſtud.
Qua ratione etenim quiſquam dubitabit, an inſint
Intima ſenſa ſuae menti: quin haereat ejus
Tunc animo dubium? porro dubitatio nonne eſt
Actus, & internis animi de ſenſibus unus?
Scilicet interior mentem ſic percutit actus:
Sic animum noſtrum ſenſus ferit intimus: ictus
Ut, velit aut nolit; mens conſcia debeat eſſe;
Praeſentemque ſibi certo cognoſcere debet:
Ac proin ore poteſt tantum, non mente negari.
Hac ratione, licet naturâ ſit abdita nobis
AEterne Mentis; tamen hanc exiſtere certo,
Noſtrum quiſque, velit, nolit, cognoſcat, oportet.
O Deus! haud capio; quid ſis, quantuſve: ſed eſſe
Te ſcio, tam certo: quam ſum certiſſimus ipſe,
Me conſtáre mihi, meditari, vivere. Qui Te
Inficiari audet: reliquum eſt; ut ſe neget amens!
Ipſe ſibi locuples teſtis, quod vivat, agatque,
Quilibet eſt hominum; teſtiſque graviſſimus una,
Quod DEUS exiſtas! ſine Te, nihilo magis eſſe;
Quam ſine ſe, quiſquam poterit! Tu Fons ſine fonte es!
Prin-

Principium ſine principio! ſine origine, origo!
Perſpicio me principium non eſſe meimet:
Hac de re, tacitus, quoties conſidero mecum;
Protinus occurrit, Tibi me debere quod exſtem!
Imo nec occurrit; quanam ratione valeret;
E nihilo ſine principio, mortalis oriri,
Aut aliud quiddam, quod non fuit, eſſe repente
Abſque omni cauſa, velutique erumpere ſponte!
Conſcius ipſe mihi: quivis bene conſcius alter
Eſt noſtrum, ſe non vixiſſe per omnia retro
Saecla, datamque ſibi novit pro tempore vitam:
Hanc ſibi nemo dedit. Nemo vi, namque ſuamet
Exſtitit e nihilo, potuitque exiſtere nemo
Abſque ſui cauſa; quiſquis non exſtitit unquam.
Porro aliquo quivis noſtrum non exſtitit ante
Tempore; nos citra cauſam haud exiſtimus ergo.
Nunc quoque ſi quivis: mortales ſic ſumus omnes;
Deficere ut ſingillatim, pariterque queamus:
Nam quod ego de me: de ſe, ſentire neceſſe eſt,
Quemlibet e cunctis: omnes, cum ſimus ad unum
Naturae plane ſimilis; fluxae atque caducae,
Innumeris vicibus ſubjectae, & mille ruinis;
Semper ad interitum tendentis praepete curſu.
Nunc age, nos una periiſſe putemus ad unum:
Non erit, ut quiſquam poſthac exiſtere poſſit:
Reque ex poſſibili pugnantia ſcita ſequentur.

Nam-

Namque repugnabit, quod mox fuit, amplius esse.
Atqui possibilis, si res ponatur ad actum
Deduci; fieri nequit, ut dein illa repugnet:
Nec sanae mentis compos deduxerat unquam
Ulla, ex possibili contradicentia casu.
Extra nos igitur, sit oportet Fons & Origo:
Fons non deficiens: Fons non obnoxius ulli
Jacturae: interitus expers, expersque ruinae:
Vita sui sine principio, sine fine beata:
Per quam nunc vivant, & porro vivere possint;
Quotquot habere queunt, habitamque profundere vitam.
Namque vel innumeros homines, si finxeris, aevo
Retro omni vixisse; tamen non efficis inde;
Infinitam etiam potuisse existere turbam:
Quin sit in hac serie talis, tantusque vel unus
Ante, per aeternum tempus, qui vivat & ex se
Ipse suae vitae fons sit, nullique referre
Debeat acceptam causae: concedere vero
Hanc possit reliquis. Atqui, DEUS iste, nec alter
Verus hic; hic DEUS est! nec enim sibi sufficit ulla
Res peritura, adeoque sibi non sufficit ullus
Interiturus homo; proin nec collectio quaeque
Hoc primo sine principio, sine principe causa,
Infinita licet, satis est; ut in ordine longo
Dent aliis alii vitam: sic quaestio quippe
De tota serie, nihil enodata recurrit;

Qui-

Quinam ſit nihilo, ſine cauſa & viribus, orta.
Copia ſi major ſit egentum; creſcit egeſtas.
Quantum etenim numerus; tantum penuria creſcit.
Hinc ſi ne minima vi pollet quiſque ſeorſum
Seſe condendi: nec eam collectio, quanta eſt,
Continet. Unde etenim virtus ſimul omnibus inſit,
Quae vel parte ſui minima non infuit ulli?
Hoc ita, ſi fieri poterit; nihil amplius obſtat:
Quominus, ex miſeris, quos omnis, quemque viritim
Deficiat nummus; ſurgat ditiſſima turba:
Aut ex militibus, quorum ſit cunctus inermis;
Armatus poſſit conflari exercitus ingens:
Poſſit & ex ſtultis Academia ſurgere docta:
Surgat & ex nudis tectum bene veſtibus agmen:
Atque ex mancipiis Reſpublica libera ſurgat:
Reſque ſuis quaevis ſine partibus integra ſurgat.
Denique ſi nihilo, ſine cauſa poſſit oriri
Interdum quiddam: non eſt, ſpectacula centum
Cur nova non dentur, momenta in ſingula: non eſt,
Cur nova monſtra, novae ſpecies, portentaque mille,
Mille novi mundi non enaſcantur in horas.
Ex infinitis atomis volitantibus, ajunt,
Atque per aeternum tempus caeco impete raptis,
Prima cohaeſerunt cunctarum ſemina rerum:
Foemina, maſque omnis, totus conflatus & orbis.
Scilicet innumeris poſtquam verſata fuiſſent

Motibus huc illuc, variiſque incurſibus acta
In ſe, materiae corpuſcula plurima, tandem
Offendere ſitum, temereque coacta fuerunt
Hoc genus in textum; referunt quod corpora noſtra:
Corpora quod referunt animantum & caetera: verbo;
Hanc totam in ſpeciem, quam mundi fabricá praefert.
Sic homines, pecudes, ſic rerum ſchemata prima;
Nullo conſilio, mentis moderamine nullo:
Forte cohaeſerunt; nulla ſunt arte coacta:
Quare atomorum aeternarum concurſio caeca,
Numine ſecluſo, concludunt nempe ſceleſti,
Conſpicui mundi ſons & caput eſſe putanda eſt,
En mundi artifices cauſas; corpuſcula, & horum
Amplexus caecos! ſeu malis dicere, Caſum!
    Sed quaenam iſta, malum! veſania: Numen, ut unum
Inficere, Deos tot, & *entia*, ut inquimus, a ſe
Ponere; quot ſunt materiae corpuſcula bruta?
AEternas etenim debent aſſumere quaſvis,
Ingenitaſque atomos; proin ex ſe exiſtere cunctas;
Qui nolunt unum praefracti agnoſcere Numen.
Ergo quot in ſeſe numerat corpuſcula mundus,
Si qua fides Atheis, totidem *entia* continet a ſe.
    Sic nullus ſupereſt non re tantummodo; ſed ne
Cognitione modus, cauſarum ex ordine, cauſam
Tollendi, quae vi naturae exiſtere poſcat:
Ut quibus, hanc contra pugnes; ſit tutior armis.

Nam

Nam qui insectantur, renuuntque agnoscere Numen;
Quod sine fonte sui, sine origine, tempus in omne
Exigat omnino vi naturae esse suaemet:
Tale vel inviti debere exstare fatentur:
Atque, quod eversum stulti furiosius ibant:
Hoc toties statuunt; quot sunt corpuscula mundi
Conspicui, quae contendunt expertia causae
Omnis, ab aeterno, natura exstare suapte.
Sed cum, quod proprium est tantummodo Numini, ut ex se
Existat sine principio; praepostere idipsum
Materiae tribuunt, hanc sic exstare crepantes:
In tam magna ruunt absurda, & in absona tanta:
Queis non ulla fides modo; sed pugnantia plane:
Non secum: non cum sana ratione cohaerent.
Certe materiam quamvis abiisse putaris
In nihilum; tamen est illius notio salva.
Non secus ad species manet incorrupta trigoni;
Hoc, licet extra animum, sumas existere nusquam.
Non proin materiae per se, est exstare necesse.
Nam quod ita existit; si non existere ponas:
Istius haud poteris speciem depingere mente:
Sicut nempe nequis animo informare trigonum;
De tribus angululis si tollas mente vel unum.
Quod tribus angululis constare necesse trigonum est.
Tum: sine principio si sunt corpuscula, & a se
Existunt: dicant, cur perfectissima non sint?

Res etenim, quae naturae vi poſcit, ut exſtet
Aeternum, ſine principio, ſine fine: neceſſe eſt,
Partibus, & numeris expleta ſit omnibus: atque
Infinitarum plane complexio dotum.
Quod ſi enim in exſtando, non circumſcribitur ullo
Principio: quaeſo, quid circumſcribere poſſit
Limitibus, bona, virtutes, doteſque ſuaemet
Naturae? Certe, qua vi ſibi ſufficit; ut ſit:
Hac ipſa, dotum rationes continet omnes,
Quae ſe perficiunt, complentque: proinde neceſſum eſt;
Omnibus ut numeris ſit perfectiſſima. Quare
Principium exſtandi & fontem, ſi reſpuit omnem:
Non exercitio, cauſae non viribus orta
Materies: metis dotum non ſtringitur ullis:
Ergo infinitas in ſe comprendat, oportet.
Nullam etenim cauſam agnoſcit, quae limitet iſtas.
Quippe rei limes poſitus cognoſcitur inde:
Si cauſa efficiens plures concedere dotes
Noluit effectis; aut impertire nequivit.
Atqui materiae natura eſt undique ſepta
Limitibus: nequit ergo exiſtere ſemet ab ipſa.
Multis illa ſcatet defectibus, orbaque multis
Dotibus eſt: quas in nobis agnoſcimus ipſis.
Vitae expers, rationis inops, impoſque ciendi
Motus, vi propria: nec praedita viribus ullis.
Non agit, eſt agitur, tantumque extrinſecus acta:

Ef-

Effectus, quos fufpicimus, non libera praeftat
Ullos: ferva omnes, aliique obnoxia caufae.
Ac proin abfque fua domina, fine principe caufa:
Non fe; non ulla poterit ratione movere
Quidquam aliud. Sane, fi motum ex femet haberet,
Atquae fuae vi naturae caput illius effet
Materia: haud poffet motus variare tenorem.
Ocyus inde rapi, mox tardius illa nequiret:
Nunc hanc, nunc partem ferri non poffet in iftam.
Materies fiquidem res non eft libera: quare
Si fine principio, femet moveatur ab ipfa;
Motus ad illius naturam pertinet. Atqui
Ut natura nequit variari; fic quoque, quidquid
Spectat ad hanc; non eft ullo mutabile pacto,
Non proin augetur; fed nec decrefcit id unquam.
At vero languet motus, crefcitque viciffim:
Atque tenere queunt quemvis corpufcula curfum:
Innumerifque modis partes agitantur in omnes:
Quin etiam poterunt penitus deperdere motum.
Hinc ad materiae naturam motio nulla
Pertinet: haud innata eft; eft adventitia omnis.
Tum: fi principium motus ex femet haberet
Materia, & caeco fluerent corpufcula curfu:
Serius aut citius diffolvi machina mundi
Deberet: nec adhuc poffet confiftere falva.
Fortuito obtentam confurfu quippe figuram,
Fortuito motu peffum foret ire neceffe.

Nam-

Namque ubi materies in eam conflata fuisset,
Quam praefert mundus, speciem: tamen usque moveri
Pergeret ingenita sibi vi: nec sistere cursum;
Scilicet ingenitum, corpuscula bruta valerent;
Nec retinere situm: mundus retinere nequiret
Ergo diu speciem: sed quam fors caeca dedisset;
Impetus auferet caecus speciemque decusque:
Inque chaos tetrum pulcherrimus ordo migraret;
Qui sartus tectusque tamen tot mille stat annis.
Non ergo ingenito: caeco non impete fertur
Materia: hac mundus non est ratione coactus.
Consilio summo; summa est opus arte politum.

Non minus ad motum res apta est, atque quietem
Materies equidem; neutrum tamen illa requirit.
Sed nec inesse potest atomis vis libera motus:
Arbitrio, qua nempe suo, discurrere possint;
Quo, queis collibitum sit: inertia singula namque,
Et libertatis vitaeque expertia, certo
Omnia materiae corpuscula novimus esse.
Consimili siquidem sunt indole praedita cuncta:
Non poterunt igitur motu interiore cieri.
Interior motus; vel sensus, vel rationis
Est argumentum: vitam deducimus ex hoc.
Sane cum dubii sumus; an substantia vivat?
Vivere continuo toties concludimus istam;
Haet motu quoties, sic interiore cietur,

Il-

Illum, ut in externam non possis reicere causam.
Motus ab interna rerum virtute profectus.
Unicus est index occultae in corpore vitae.
Porro omnes atomos quis vivere somniet unquam?
Istis, quis sensus ullos, aut denique mentem,
Attribuat temere; nisi dementissimus ipse?
Quod si, non vitam, non sensum, non rationem
Per naturam habeant corpuscula, pigra suapte
Indole; nata pati; sed non agitare suomet
Ingenio quidquam; quamvis per saecula prorsus
Infinita retro, dentur sine fonte fuisse:
AEterno fuerint somno sopita necessum est.
Quisnam igitur pigrum cumulum torpentis arenae:
Quisnam infinitum, & quo tempore, pulveris agmen
Impulit ad motum? tuba quae? quae buccina longos
Abrupit somnos atomis? quis spiritus ingens
Exstitit impulsor massae? Tantummodo namque,
Spiritus esse potest motus primaria causa.
Ast Epicure tibi dederim, corpuscula, gratis
Per se moliri, propriaque ex indole, motus
Fortuitos; ut vis: an se, sine mente deinde
Usque adeo miro poterant disponere sponte
Ordine; & in scitas adeo coalescere formas?
Formas! quae rapiant sensus, animosque stupore
Defixos teneant? Sed enim mirabile textum
In tot corporibus, quae nobis obvia fiunt,

Qua

Qua circumferimus fenfus, mentefque fagaces:
Organa, commenfus, defcriptio partium, & ufus
Mirandi, finefque ftati, fabricatio tota;
Maffam indigeftam monftrant non forte coactam
In bellas adeo formas; fed acumine mentis
Effe laboratam: labor hic, haec dextera, fummi
Hoc opus artificis, veftigia Numinis haec funt.
Non humana poteft induftria tale vel unum
Fingere opus; cujus generis fpectantur in orbe
Infinita fere. Quis enim e mortalibus unus,
Poft homines natos, minimum fine femine florem;
Marte fuo, ex atomis ipfo formavit ab ovo?
Nec formare valent, quamvis cogantur in unum;
Arte quot excellunt; quot dexteritate Magiftri.
Et potuit temere mundus coalefcere motu?
Caecane plus poterit concurfio pulveris? Anne
Vitae, confilii, rationis, acuminis expers
Plus poffit cafus, quam cuncta induftria noftra?
Adde, quod innumeras inter formafque modofque,
Queis poterunt caeco necti corpufcula cafu;
Forma modufque hujus minime comprenditur orbis;
Cujus fufpicimus feriem, fabricamque ftupemus,
Legibus addictam, devinctam nexibus aptis.
Nam fecus, effectus caufa praeftantior effet:
Scilicet a caeco cafu pulcherrimus ordo:
Coeca daret decus & fpeciem, quibus ipfa careret

Cau-

Causa; vel effectus sine causa surgeret omni,
At nihilum non posse rei caput esse, vel ipsa
Notio clara docet nihili; prout ante probatum est.
Nulla est dos nihili: vis nulla est: actio nulla.
Quod si fortuitis atomorum nexibus, orbis
Exstitit, & rebus datus est pulcherrimus ordo:
Quorsum urbes nullae; cur nulla palatia casu
Usquam fortuito fabricata fuisse leguntur?
Ac ne vile quidem sic surrexisse mapale;
Non minimam casulam structam sic vidimus unquam?
Sunt tamen haec operosa minus, quam fabrica mundi.
Si tanti casus fuit, ac Epicure docebas;
Ut sine consilio temere fabricaverit orbem:
Quid fuit? ut jactis in chartas sorte figuris:
Quas scripturarum formas, elementaque dicunt:
Concinnata itidem praeclara volumina non sint?
Quid fuit? ut non sint, hodieque poemata docta;
Consignata suum rostris, rostrisque Volucrum?
Dic Epicure: cui casus tam dextera causa est;
Ut quid Odysseam, non hac ratione docebas
Conscriptam? sic Jlliadem, Commentaque docta,
Sic scripta AEsopi? sic scripta volumina cuncta;
Ante tuam vitam quotquot vulgata fuere?
Cur miras uvas Zeuxis, Phidiaeque Minervam;
Non itidem temere casu formata crepabas?

Edi-

C

Editus in lucem doctus liber; ergone mentem,
Arguat artificem; mundi autem fabrica casum?
Atqui, quod monui, mundus, liber atque volumen
Tam bene dispositum est; ut non sapientius ullum.
Ergo domus, pictura decens, vultusque metallo
Incisus scite, statuaeque externa figura;
Ingenium artificis prodant; hodieque repertus
Non est tam demens, haec, qui sine mente putasset,
Sponte sua, casuque mero, formata fuisse:
At simul, ac bene dispositam suspexit opellam:
Artificis stupet ingenium, mentemque manumque
Noscere avet: deamat, veneratur, laudibus effert;
Grandem autem fabricam mundi, quis spectet, opusque
Omnibus expletum numeris: opus ordine miro,
Quo nullum majus, quo non angustius ullum:
Quo nil splendidus; quo nil formosius usquam;
Attonitus stupeat, demirandique feracem,
Atque novam segetem hinc, vita deprendat in omni;
Et tanti, talisque operis non colligat ultro
Artificem, summam rationem? colligat imo
Jllius auctorem fortunam faex Epicuri?
An magis esse potest conclusio dissona vero?
Hac tamen abreptae mentis vertigine, Sectae
Sic deliranti, ratio constare putetur
Sana satis? Quin ingenii acuatur acumen?
Quaenam quaeso alia est; si non dementia summa haec?

Ar-

Artis perpetuo ſpectamus opuſcula, noſtris
Uſibus, & certis accomoda finibus: atque
Lege ſtata, ſérieque ſtata, contexta; manuſque
Continuo & mentes, nullo ſtimulante, notamus
Ordinis artifices: auctores finis & uſus.
Hoc paſſim facimus; facimus doctique rudeſque.
Scilicet ex ſtructo concludimus ordine mentem.
Et bene colligimus; nec falli poſſumus unquam.
Mentis egeſtatem ſemper confuſio, prodit:
At rationis opes rerum bonus arguit ordo.
Mentis & ingenii partus certiſſimus, ordo eſt.
Nemo namque poteſt, niſi Spiritus, ordinis eſſe
Auctor: conſilio ſit, conſilioque tenetur,
Ordinis in clara mens cognitione relucet.
Quo magis exactus, quo quiſque eſt aptior ordo:
Hoc magis illuſtris mens illius Auctor habetur.
Jam quis mundano perfectior ordine? quaenam
Mira magis rerum proportio, dicite, quiſnam
Aptior eſt nexus? quae machina pulchrior orbe?
Pluribus ecquaenam; vel quae majoribus apta eſt
Uſibus? At quoniam, pariter perpendere cunctos
Rerum cunctarum, vaſtus quas mundus hic ambit,
Haud animi brevitate licet nexuſque, modoſque,
Atque ſcopos, ad quos collimant omnia mundi
Corpora, conſtanti curſu, certoque tenore.
Unius inſignes expendere juverit uſus

In rem praesentem, bona, nexus, munera, fines;
Solis nempe, suo totum qui lumine mundum
Collustrat; Solis! qui commoda mille quot annis;
Annis vero? vehit secum lucra mille quot horis;
Quin & momentis. Quot commoda principis astri?
Quam multi fines? Sublatum pone repente
De medio: sequitur chaos, & confusio grandis.
Intereunt volucres, homines, pecudesque necantur.
Nulla dies; ast incumbet nox horrida toti
Terrae. Ver nullum: non laetior appetet aestas.
Foetibus arboreis gravis haud autumnus inibit:
Summus & assiduus sed corpora torpor habebit;
Et frigus bruma, dominabitur acrius omni.
Jam retine, tam frugi astrum; sed pone remotum
A tellure magis, quam sit modo; nonne rigebunt
Corpora cuncta gelu? si porro propinquius aequo
Adstituas terrae; nimio solventur ab aestu
In liquidi speciem solidissima corpora quaeque.
Solem intervallo, quo nunc removetur, eodem
Pone: ast quam praefert, plus justo mole minorem;
Cuncta rigent iterum. Majorem sume: calore
Omnia solvuntur rursus. Sit salva deinde
Illius, a terra distantia, salvaque moles:
Sed minime in gyrum moveatur terra; vel ille
Orbe, obliquato magnum AEquatoris ad orbem
Viginti atque trium graduum, mediique sub arcu:
Haud

Haud tempestatet remeabunt quatuor anni.
AEquatoris item seu Sol; seu terra revolvi
Si datur in plano; mutatio nulla dierum,
Nullum incrementum; non ulla minutio noctis:
Quaeque sed aequalis fiet nox cuique diei.
Praeterea ver perpetuum, aut autumnus agetur
Jugis iis, quos zona poli moderatior ambit.
Non igitur casu; verum ratione suprema:
Quae certos adeo longe praeviderit usus;
Conciliata fuit Soli distantia tanta,
Quantam habet: & massae concessa est copia tanta.
Non temere motus; quo Sol, vel terra cietur,
Inditus alterutri est stabilem torquendus in orbem
Axe inclinato proprio, AEquatoris ad axem.
Et vero, certosne potest praenoscere fines,
Materies, rationis inops? aut Casus egenus
Consilii? Sed enim certam praefigere rebus
Metam, & ad hanc scito res ordine quasque referre;
Est soli proprium rationi munus, opusque.
Ast male pro causa praetextum, quid premo Casum,
Extorquere magis juvat hostibus irrita tela.
Una opera e manibus, nudareque cortice verbum,
Quo fucum faciunt, fallique & fallere pergunt;
Quo se tutantur; Casum, Casumque crepantes
Pro causa; mundi quoties inquiritur ortus.

Eja age quid tandem Casus? commune quid isti
Cum causa? finitane is est; an summa potestas?
An nihilum? quaenam vocis mysteria quaeso?
Scilicet effectus, quem non praesensimus ante:
Nec causas prope nos positas, advertimus illum
Moliri; nobis non expectantibus ortus:
Qui rapit, aut recreat; vel nos percellit & angit,
Fortuitus vulgo eventus, casusque vocatur.
Jlle tamen minime sine causa, legeque certa
Accidit; esto dein sint haec incognita nobis.
Quidquid enim consit certo pro tempore, praesto
Istius in rebus sit, oportet, idonea causa.
Sin secus, ergo rei processu temporis ortae
Ipsummet purum nihilum fons & caput esset.
At nequit e nihilo sine causa erumpere quidquam,
Ut mens sana docet; liquidoque probavimus ante.
Ac proin effectus si sit, causamque requirat
Casus; ab hoc nequeunt rerum primordia duci,
De quo nimirum redit integra quaestio semper:
Cur sit; & acceptum cui fonti debeat ortum;
Qui nihil ante fuit, causamque poposcit; ut esset.
Jam quis in effectis Casum non censeat? ille
Quandoquidem solum quaedam mutatio rerum est,
Queis sumus obsepti, nobis inopina; sed orta
Tam certis causis, quam sunt certissima motus
Principia & leges, queis corpora cuncta reguntur.

Ma-

Materiae ſiquidem quaevis mutatio motu
Perficitur: motuque abſolvitur actio quaevis;
Aut niſu ad motum: veluti cum pondera bina
E rigidae virgae extremis ſuſpenſa, tuentur
A lapſu ſeſe, pugnantia viribus aequis.
Corporis hinc motus, quibus eſt obnoxius; illis
Legibus eſt ejus mutatio ſubdita: cunctus
Atque adeo caſus normis ſubjectus iiſdem eſt.
En pervulgatas, quas omnia corpora ſervant
In motu leges; obſervaturaque porro
Sunt in perpetuum: nec adhuc ſecus acta fuere.
Quodlibet in motum ſimul ac eſt corpus adactum;
Continuo ferri tam longum pergere debet:
Dum perimat vis occurrens contraria motum.
Quo ſemel extincto; ſpatio requieſcet eodem:
Vis externa recens iterum quoad concitet ipſum.
Corpus adhaec pulſum, ſibimetque ſubinde relictum;
Proſequitur coeptum directo tramite curſum.
Nec vero minimum partem deflectit in ullam:
Vel citat, aut tardat curſum; quo pergere coepit;
Donec ab exſerta motus virtute recente
Contendente alio, cogatur vertere callem,
Et properare magis; tantiſper tramite verſo,
Qua nova vis urget: qua fortior impetus inſtat.
His regitur corpus normis: dum ſimplice motu
Latum, dirigitur partem duntaxat in unam.

At

At fociis varias in partes, viribus actum.
Unicuique rata pro parte fatisfacit: aeque
Scilicet obfequitur paribus: fed paret iniquis
Impariter: callemque attemperat omnibus unum;
Inter eos calles medium, queis quifque feorfum
Impetus impreffus fatagit deducere corpus.
Exprimit hancce viam diagonia linea belle
Quadrati, cujus gemino directio duplex
Exprimitur latere, in cafu, quo concita moles,
In diverfum urgetur iter; fed viribus aequis.
Quod fi praevaleat fociis e viribus una;
Impulfum corpus procedet tramite curvo.
Adverfis autem, fed adhaec aequalibus icta
Viribus; in medio moles immota quiefcit,
Oppofitis demum, fed iniquis concita; vires
Victrices fequitur; quantum victoria pofcit.
Ifti funt calles: haec funt praefcripta viaeque:
Hae normae, legefque ratae, ad quas corporis omnis
Exigitur motus; feu magni, five minuti.
Iftis fenfibiles docet experientia moles
Legibus adftringi: non caeca forte vagari,
Et velut effraenes nullo moderamine, nulla
Propofita meta, nullo difcrimine raptas
Quo, quando, quantumque libet, per devia ferri.
Cuncta igitur ftabili corpufcula lege moventur;
Ut majora ftatis agitari corpora normis

Spe-

Spectamus. Quare merito concludimus isthinc;
Nullos fortuitos motus in rebus haberi:
At caecos dici, quos non speravimus unquam;
Vel quorum causas non vidimus ante viasque.
Quod si lege rata corpuscula cuncta cientur;
In caecos, temere motus effecta refundis,
Et Casum; mundi causam contendis inepte.
Nunc age pensemus, possitne accepta referri
Materiae brutae, pecudumque, humanaq; vita?
Haec etenim, quoniam non exstitit ante per aevum
Omne retro, verum pro tempore coeperit esse;
Cumque sit insignis dos, & perfectio nostrae
Naturae: causam summa vi postulat aptam:
Ceu rivus fontem; proprium cui debeat ortum.
Cum citra causam quidquam non possit oriri
E nihilo: ut toties monui; rursusque juvabit
Hic meminisse probe. Iam si corpuscula vitae
Ac sensûs omnis, si sint expertia; certum est,
Jllis acceptam vitam non posse referri.
In quavis etenim causa perfectio, oportet,
Effectus insit: docet id vel notio causae.
Quocirca, minimum perfectio tanta, necessum est,
Sit causae; quantam effectus reperitur habere.
Sin secus, haud animo fas est comprendere; quonam
Effectus pacto sortiri possit, ut exstet
Per causam; dotesque suas, huic debeat omnes

Acceptas; & non ſatius dicatur obortus
De nihilo ſine principio. Impertirene quiſquam,
Quo caret, hoc poſſit donum? Sed enim data nunquam
Sic accepta tulit cuiquam mens ſana: relinquit
Sic referenda atheis munuſcula mutua: digni
Sunt iſti, qui pro meritis ſibi dona viciſſim
Dent ſtulti, quae non habeant, eademque receptent.
Eſt igitur DEUS, eſt! vitam dedit omnibus ille,
Quotquot ea fruimur; dat, & in momenta tuetur.
O mea vita DEUS! gratus Tibi debeo vitam;
Acceptamque lubens refero: nec debeo ſolus;
Hanc pariter debent, illa quotcunque fruuntur:
Debent ipſi athei; renuant utcunque referre.
Jllius Auctorem Te clamant omnia primum!
Quidquid habet mundus, res omnis lingua diſerta eſt,
Quae teſtatur idem, ſceleriſque coarguit, hujus
Inficiatores veri! Strepat impia contra
Turba crepetque licet; tamen exſurdetur, oportet.
Jlla tot elingues non unquam reddere teſtes;
Tam validas, non illa poteſt pervincere voces.
Quod ſi ſurda neget facilem, tot teſtibus aurem;
Certe incorruptum teſtem non obruet; intus
Qui reſidens animo, conſtanter nocte dieque,
Te primum Auctorem vitae, Dominumque ſupremum
Praeſentem perhibet, tacituſque ſuſurrat in aures:
Judicem & ultorem fore Te negitantibus acrem.

Or-

Ordo igitur, Motus, Vita & Defectio rerum
Aspectabilium, quarum pleraeque quot horis
Intereunt, cunctaeque simul vanescere possunt;
Quin impossibiles valeant hoc nomine reddi:
Quatuor invicti testes exstare revincunt
Vi summa debere DEUM: qui cuncta creavit;
Et tenet in praeceps nihili incumbentia cuncta:
Hucque relapsa queat nutu revocare potenti.
Haec ratio quadruplex, haec testificatio summa;
Praesentis speciem supremi Numinis alte
Usque adeo nostris insculpit mentibus; illam
Ut non inde dolus, non vis exsculpere possit:
Nec demum penitus delere oblivio crassa.
O princeps vitae, motus, atque ordinis Auctor!
O qui de nihilo res efficis! hucque ruentes
Incolumes praestas; nihilique voragine mersas
Extrahis hoc barathro; non subditus ipse ruinae!
Res alias omnes; esse aut non esse, perinde
Congruit: unum Te quondam non esse repugnat!
Sic sumus; ut quia vis: simus, vivamus, agamus!
Sic es; ut existas sola virtute tuamet!
Sic sumus; ut simul, atque jubes periisse, cadamus!
Sic es; ut e medio nullus te tollere possit.
Sic sumus; ut bona nostra tibi sint debita soli!
Sic es; ut adscribas tibimet genus omne bonorum!
Sic sumus; ut ad te spectemus in omnibus, omnes!

Sic es; ut in minimo pendere a nemine possis!
Sic sumus; ut quamvis in nos bona cuncta profundas;
Non tamen ex nobis nihilum desistimus esse.
Sic es; ut omnino nil perdas, omnia dando,
Salvaque sint tua dona tibi, prout ante fuerunt!
Talis imago tui se sistit, te mea talem
Vita mihi; talem motus; talem exhibet ordo.
Haec nota, vis, virtus, princeps tuus iste character;
Ut sis, & nequeas ullo vanescere casu.
Ex hac exstandi vi summa temet ab ipso,
Colligitur liquido virtutum summa tuarum.
Hinc cujusque tuae liquet infinitio dotis.
Nam quis constituat Divinis dotibus ullos
Fines? Ipse DEUS sibi non descripsit eosdem.
Nec porro potuit, poteritve hos ponere causa
Ulla DEO, siquidem non est obnoxius ulli,
Spectatus, quacunque lubet ratione, modoque.
Sane illa, nostris animis quae picta relucet,
Mentis supremae, nihil est in imagine prorsus,
Quod circumscribi cancellis exigat ullis.
Quin existendi vis insuperabilis, omni
Tempore tum spatio, quam notio Numinis offert,
Quamve tot invictis rationibus usque probavi;
Arcet & excludit cunctas, a Numine metas.
Omnis enim limes defectio nonnisi certa est;
Qua res arctatur, ne sese porrigat ultra.

Jam

Jam quod in exſtando, cauſa non pendet ab ulla;
Id, nulla, pendere poteſt in dote, modoque;
Sed qua vi exiſtit, dotes hac poſſidet omnes:
Hac bona, virtutes, & conſectaria cuncta
Naturae propriae, ſibi vendicat atque tuetur.
Infinita proin virtus in Numine cum ſit
Semper ad exſtandum; non ſunt bona caetera ſepta.
Quare virtutum genere infinitus in omni
Eſt DEUS: has etenim non eſt, quod ſtringat & arctet.
Nec vero nihilum valet iſtis ponere metas.
Cum nihil a nihilo ceu cauſa poſſit oriri.
Non patitur, nec agit nihilum: vis omnis & actus
Eſt expers; ut ut hanc caecam verſaveris umbram,
Nonniſi egeſtatem, tetrumque videbis inane.
O mare virtutum; mare nullo littore cinctum!
Immenſum pelagus, generis cujuſque bonorum!
Et dotum, ac decorum, DEUS! infinitio ſimplex!
Vaſtis non caperis ſpatiis, caelique ſolique;
Finibus & metis non circumſcriberis uſquam!
Definire tamen Te cognitione quis auſit?
Et neget hinc; quod Te nequeat comprendere mente?
Te! cujus dotum patet infinitio clare;
Ob quam comprendi nequeas ratione creata?
O homo! quid pelagus cotyla exhaurire laboras?
Hicque tuas vires nil poſſe iraſceris amens?
Includine queat mare grande putamen in unum?

Anguſtane capi queat infinitio mente?
Noſſe tuae curae eſt; at non comprendere Numen:
Solum nempe animo ſemet complectitur illud.
Tune DEUM capias, qui rem quamcunque minutam
Non ſatis aſſequeris? penitus neqne noſcere porro
Es potis; ingenii vires licet uſque profundas?
Plurima quo pacto fiant, non perſpicis; illa
Attamen haud dubitas fieri. Quis novit aperte:
Qui cibus in carnem; ſanguis mutetur in oſſa?
Qui ſuccus, varios plantae formetur in artus?
Halitus atque vapor; qua lege ferantnr in altum?
Aut qua fulmineum nubes erumpat in ignem?
Corpora qui feriens edit miracula tanta:
Ut parcat teneris; duriſſima diſſuat uno
Momento: liquet haec puncto uno; duret at iſta?
Unde fit in pyrio correpto pulvere flammis,
Fulminis impetui tantum non aemula virtus:
Quae turres affligat humi, quae moenia ſternat:
In ſublime domos rapiat; telluris hiatus
Recludat: laceret firmiſſima corpora quaeque,
Atque uno, quaevis obſtacula diſſipet ictu?
Quis novit, qua vi ferrum a magnete trahatur?
Qua paleas, ſtipulaſque electrina corpora raptent;
Haec ubi permodico frictu irritata fuere?
Qua ratione feros pelagus cieatur in aeſtus;
Affluat & refluat? qua turgeat atque dehiſcat?

Quid

Quid multis opus eſt? e centum millibus unum
Effectum vix perſpicimus; percellere noſtros
Qui ſenſus fuerint, animoſque ſtupore tenere
Defixos, omni vitae mortalis in aevo.
Nec tamen idcirco, quia non penetramus; ut exſtant,
Quove modo fiant; fieri dubitamus eoſdem:
Hos, quia teſtantur fieri; aut exiſtere, ſenſus.
Senſibus ergo fides noſtris ſanctiſſima conſtet?
Tam certis autem rationibus illa negetur;
Hactenus, eſſe DEUM queis demonſtravimus? Oro
His tu certa magis quaenam documenta requiris;
Amplius aeternum tibi declarantia Numen?
Sane exiſtendi vis infinita ſupremi
Numinis, & quaevis ejus perfectio; cum ſit
Immenſum potior noſtris, & limitis expers:
Haud infinite valet illuceſcere noſtris
Anguſtis animis, tenebroſo carcere vinctis:
Sic tamen illa nitet: dubium ut procul omne releget.
Hacne tibi verum, re conſtat certius ullum?
Qua tandem ratione DEUM manifeſtius optas
Perſpicere in vita? tractarene ſenſibus illum;
Uſurpare oculis velles; aut tangere dextra?
Attingi nequit ille manu: nequit ille videri.
Corporis eſt expers etenim, vacuuſque colore.
Quid, quod fallaces ſatis experientia teſtes,
Senſus eſſe docet noſtros: cum notio contra

Cla-

Clara rei merito certiſſima teſtis habenda
Comperti veri? Senſu res noſcere tantum;
Vilis conditio, ſtatus, & natura ferarum eſt.
Quin ſatius ratione Deum deprendere pergis:
Cujus tam claram momenta graviſſima nobis
Ingenerant ſpeciem; quae nunquam fallere poſſit.
Noſcendi cauſa veri eſt mens indita nobis;
Aſt hebetes ſenſus, alios aptantur in uſus.
Detectura quidem verum mens noſtra, frequenter
Utitur auxilio ſensûm; ſed in indole tantum
Materiae cognoſcenda, vel dotibus ejus.
Quam tamen hic pariter, niſi ſit cautiſſima plane,
Decipitur crebro fallacis imagine veri!
Senſibus, heu! quoties ducibus, captavimus ipſi,
Pro vero ſpeciem, ſimulacraque inania veri!
Stultum eſt conſilium, fallaci quaerere verum
Indice; quod certo deprendere judice poſſis.
Quorſum igitur fruſtra delaſſas corporis artus?
Quid caſſo ſenſus exſertas ſaepe labore?
Quid tentas; Numen velut apprenſurus iiſdem?
Non cadit in noſtros Mens praeſtantiſſima ſenſus.
Quid, quaerendo DEUM, longe lateque vagaris?
Longius a nobis nequaquam diſtat: in ipſo
Vivimus: ut loquitur Paulus: ſumus, atque movemur.
Sacrilegum ſcelus eſt, inquirere ſenſibus illum;
Quem meliore tui deprendere parte juberis.

Mens,

Mens, DEUS est: solo rationis noscitur usu.
Vis spectare DEUM? mentem speculare tuammet.
Sunt nostrae mentes, Animi simulacra supremi,
Et documenta simul sunt invictissima. Certe
Materies, haud humanae rationis origo
Esse potest. Est mens hominis res corporis expers;
Nobiliorque omni, substanzia, corpore. Porro
Quodlibet effectum perfectius esse repugnat
Efficiente sua causa; quod suasimus ante.
Materies & mens; duo diversissima plane
Entia sunt; quin multimodis pugnantia secum.
Mens sentit, meditatur, agit, notat intima sensa:
Praeteriti meminit, praesagit multa futura:
Corporis expertes res percipit, odit, amatque:
Noscit virtutes, & honesti flagrat amore:
Perspicit opprobrium vitiorum, & dedecus horret:
Quae fugiunt sensus, ea cognitione prehendit.
At vero cognoscendi vi, praedita non est
Materies: cui si rationem ponis inesse;
Jam cuivis atomo rationis competet usus:
Est atomis etenim natura simillima cunctis.
Quod si materiae quaevis pars cogitet; anne
Quaelibet est proprii tantummodo conscia sensus?
An norunt aliena, velut sua sensa perinde;
Singula materiae corpuscula? Si sua tantum
Sensa sciant: quinam, cedo, conspirare valebant

Partes ignarae ſenſus communis, in unum
Senſum; terrarum ſabricando videlicet orbem?
Et totam mundi molem concorde labore?
Mirum! conſenſus tantus, concordia tanta
Unde ſit innumeris in partibus orta repente!
Cum tamen inter ſe vix conſentire notentur,
In commune bonum, mortales unius urbis:
Quamvis conſiliis gravibus ducantur eodem
Secum collatis, & ab uno ſine vocentur.
Sin autem ſenſus alienos, ſingula pugnes
Plane exploratos corpuſcula habere viciſſim;
Eſſeque contendas ſibi conſcia conſiliorum:
Fare; quid eſt? quod nos, qui nonniſi corpora pura,
O Epicure! ſumus te judice, fruſtaque quaedam
Materiae: dic, cur nos explorare nequimus;
Caetera quid tacito meditentur corpora ſecum?
Materiae ſed enim mens, conſiliumque repugnant.
Corpus enim quodvis extenſio nonniſi certa eſt:
Vel quod idem ſonat: extenſa eſt ſubſtantia, reſque
Sectilis in partes, quae ſe penetrare viciſſim
Non valeant, unaque loco conſiſtere eodem
Non poſſint: res eſt certis affecta figuris:
Denique res, variis diſtincta coloribus, omnis
Portio materiae eſt. Porro genus hocce modorum,
Diſcordat noſtra cum cognitione: ſecari
Haec nequit in partes: nullum capit haecce colorem:
Cor-

Corpoream demum non induit ista figuram.
Nam mea cognitio; quas continet, obsecro, partes?
Quas amor; aut odium? quas nutus? quasve renutus?
Quas animi inferior quaevis affectio nostri?
Cognitionis ubi est dextrum latus, atque sinistrum?
Infima pars, edic, ubi sit; vel denique summa?
Quadratine animi sunt sensus; anne rotundi?
Aut alia quavis insignes suntne figura?
An color ullus inest istis? albusne; ruberne?
Iudiciis mentis quis item color; & quis amori?
Ultra materiam, manifesto hinc ergo patescit,
Altius humanae mentis caput esse petendum.
Spiritus est igitur nostrae rationis origo.
Spiritus est: exstare cui virtute, suaepte
Naturae immensae per saecula cuncta, necesse est.
Spiritus aeternus, vel, ut ajunt, spiritus a se:
Qui sibi sufficiens, merito se ponit in uno
Cuncta sua; & reliquis quoque cunctis sufficit unus.
Is solus mentes, caecum quas hausit inane,
Extrahit in lucem. Nec enim mens undique septa
Limitibus; poterit similem sibi gignere mentem.
Cum nullas habeat mentis substantia partes;
Vi quarum gigni, ceu caetera corpora, possit.
Est nimirum animus noster substantia simplex;
Cujus, ab aeterno prorsus nil exstitit aevo:
Nec valet in rebus poni, nisi tota creetur:

Nec niſi ſuprema potis eſt a mente creari.
Haec animo reputans ſecum non nemo ſuſurret:
Si DEUS eſt, quod ais, Mens praeſtantiſſima; noſtras
Condiderit ſane mentes: ſed corpora quaeſo,
E nihilo, quanam potuit ratione creare?
Spiritus ipſe merus; proin dotum corporis expers?
Nempe dedit dotes, quas non poſſederat unquam.
Tu tamen iſta Deo, cave ſis, opponere pergas.
Quidquid enim dotum, decorumve relucet in orbe:
Quidquid ineſt rebus virtutum, ſive bonorum:
Iſta ſinu proprio complectitur omnia Numen
Excellente modo, Divinaque indole digno:
Quem nulli noſtrum fas eſt depingere mente.
Ac proin materiae pariter bona continet ipſum.
Scilicet, ut potis eſt animus depingere noſter
Corpora quaeque ſibi, quantumvis corporis expers;
Sic DEUS e nihilo moliri corpora novit:
Corporea longe diverſus ab indole quamvis.
Hic me Epicureus Sophus interpellat, & inquit:
Non capio, quanam ratione emergere poſſent
Corpora tot nihilo: quanam ratione vel una
Sic atomus fingi; minime comprendere poſſum.
E nihilo non fit quidquam, fierique repugnat:
Hoc ratio dictat: vetus hoc ſententia firmat.
Non capis, e nihilo qui finxerit omnia Numen.
An capis, ex ſeſe, qui cuncta exiſtere poſſent?

Ex ſe non exſtat, quidquid mutabile per ſe eſt.
Materies vero per ſe eſt mutabilis: ex ſe
Non proin exiſtit: quondam ergo exiſtere coepit.
E nihilo nil fit: ſine cauſa principe nempe.
Omnia de nihilo, ſed princeps cauſa creavit.
Nam quia materiam, certo deduximus ante;
Abſque ſua cauſa per ſeſe exſtare nequire;
Hanc exercitio cauſae primae eſſe creatam,
Conſequitur liquido: licet actio deinde creatrix,
Qua producta fuit, ſit mentibus abdita noſtris.
Porro repugnare; & quiddam penetrare nequire;
Senſa duo toto ſunt disjunctiſſima caelo.
Ut tamen effingas ſpeciem quandam illius actus;
Quo DEUS ex nihilo Caelum terramque creavit,
Ac proin materiam primam: complectere mente
Immenſum quoddam ſpatium; ſed inane putato:
Hoc ſolidaſſe DEUM momento concipe; & ecce
Materies! ſolida en extenſio! corpus & ecce!
Hac ſpecie ſi mens non eſt contenta; memento;
Infinita DEI dos nempe creatio quod ſit:
Imbecilla autem tua perſpicientia quod ſit.
At quorſum temere captu majora requiris?
Eſſe DEUM, fas eſt & opus cognoſcere, cunctis:
Scrutari vero dotes illius & actus;
Immenſique maris, velut oras viſere velle;
Velle ſinus omnes, peragrareque velle receſſus;

In-

Indignum facinus: ratio cui sana reclamat.
Namque docet quemvis rationis sobrius usus:
Quod DEUS arctari non possit finibus ullis:
Atque adeo nostrum captum transcendat, oportet;
Ut procul a recta, sit homo ratione remotus;
Qui propriae menti satagit submittere primum
Principium mentis; seseque immergere Lucem
Audet in immensam; quam perspicientia nostra,
Perlustrare nequit tantum, quantum illa coruscat,
Non secus: in Solem veluti, qui lumina figit
Acrius, atque illum sibi copia facta videndi est;
Imprudens ausum luit: intuitusque procacis
Fert meritas poenas, amisso luminis usu.
Porro, licet minime nobis ex ordine cunctas
Fas sit Divinae naturae noscere dotes:
Perspicimus tamen, & liquido; non posse deesse
Vel minimum quidquam cumulo Summaeque bonorū
Hocque genus Summam debere existere semper.
Haud bona res; etiam minimae defectio dotis:
Res mala; vel modico vitio quocunque scatere:
Optima; defectu quovis, naevoque vacare.
Res proin immunis defectu prorsus ab omni;
Nulla in se penitus pugnantia continet: ergo
Exstat. Cunctarum, defectio maxima namque est:
Temporis atque loci spatiis existere nullis.
Omnis egestatis, defectus omnis, origo est

Et fons, quod dicunt, non *existentia* rerum,
Sane, si cumulus dotum; si Summa bonorum;
Expers defectus, nullique obnoxia noxae;
Si non exstaret Mens perfectissima semper:
Non ea possibiles inter res quiret haberi.
Cum tamen efficiat contradicentia nulla:
Haec imo efficeret; si non existere posset.
Si minus ista DEUM persuadent esse cuiquam:
Hic caret; aut uti sana ratione recusat.
Unicus est porro caeli terraeque Creator,
Unicus est Animus, nostrorum Praeses, & Auctor.
Dissona sunt sanae rationi extrema perinde:
Fingere, multa dari; seu nullum credere Numen.
Nam si sufficiat DEUS unicus omnibus: ille
Absque alio poterit quovis existere nonne?
Non erit ergo alii cuivis exstare necesse.
At DEUS esse nequit, qui non existere possit.
Quippe DEUM verum unquam non exstare, repugnat.
Si non sufficiat sibi; si non omnibus unus;
Deficit: ergo DEUS non est. Non deficit ulla
Dote DEUS: satis est sibi: sufficit omnibus unus.
Numina si possint existere plura; necesse est,
Infinita dari: Nam si duo; si tria possint:
Cur non mille queant? cur infinita repugnent?
Cum sint principii, cum sint expertia causae:
Cum vi naturae solius, oportet, ut exstent.

Quo-

Quocirca si exstare queant; existere debent.
Non secus, ac vi naturae DEUS unicus exstans:
Hoc ipso, quo jure potest, existere debet.
Nempe DEO: posse, ac debere existere, juxta est.
Exstandi siquidem rationem continet in se.
Infinita proin, si non sunt Numina; nec sunt
Vel duo: quippe duo, prout infinita, repugnant.
Res absurda Dii plures: DEUS unicus exstat:
Immensas complexus opes summamque bonorum.
Unicus ipse sibi, nobis quoque sufficit unus.
Nec solum nobis, & iis, quae mundus hic ambit:
Unus at innumeris par orbibus ille creandis.
Nullis namque potest Divina potentia reddi
Effoeta effectis; licet infinita crearet.
Nec modo sufficiens effectibus omnibus unus
Est DEUS omnipotens, alius sed quisque repugnat,
Finge Deos etenim geminos: tum dic an uterque
Omnia contineat bona? num sit summus uterque?
Sitne perinde potens? liberne sit unus, ut alter?
Si minus alteruter sapiens, liberve, potensve:
Ergo deest uni quiddam, quod possidet alter.
Hiccine deinde DEUS; quem quidquam deficit? Atqui,
Ut vel Grammaticis notum, DEUS inde vocatur:
Quod sibi nil desit; quodve ipse det omnia cunctis:
Nil tamen amittat. Cum Numinis indole nempe;
Non poterit minimae jungi defectio dotis,

Non

Non igitur DEUS is, qui non liberrimus. Ergo,
Viribus inferior, verus DEUS esse negandus.
Libertate DEI nequit esse solutior ulla.
Non poterit vero reperiri Numine, quisquam
Fortior aut melior, potior non dote vel una.
Libertate pari quod si, summeque potentes
Esse Deos statuas; certabunt aemula nonne
Numina perpetuo; bellumque perenne ciebunt?
Namque Dii, vi summa & libertate potiti,
Conspirare scopum minime cogentur in unum.
Ergo quod hic factum volet; alter conscius ejus
Consilii, ne fiat idem, prohibere valebit.
Atque adeo neuter summe liberque potensque;
Nec DEUS ergo. DEO vis namque resistere nulla:
Consiliumque ejus potis est evertere nullus.
Numina sic qui plura docent exstare; nec unum,
Verum nempe DEUM, recte defendere possunt.
Unicus ergo DEUS certo concluditur esse;
Omnibus excellens, suppar cui nulla potestas.
Porro, licet spatio sit praesentissimus omni;
Unus & immensus, summusque hic spiritus; ille
Materiae minime tamen est unitus, eamque
Ipsemet haud animat; finxit quod Stoica secta,
Quodve docent alii, deliramenta secuti:
Queis nihil est mundus; nisi grandis bellua quaedam.

Sci-

Scilicet includi refugit compagibus ullis;
Spiritus immensus, liberrimus, atque solutus
Usu materiae, nexuque solutus ab omni.
Cuncta cui summe; nulli autem obnoxius ipse est.
Ille, nec in nostro, pecudumque in corpore; vitae
Fungitur officiis, animae vice; qui fuit error
Pythagorae. Quid enim, rudis atque ignarus is esset
Artubus in nostris? Etenim miserabilis omnes
Multaque nos homines tenet ignoratio veri.
Quin etiam, qua re nihil est absurdius, ille
Innumeris se pollueret gravibusque piaclis;
Queis genus humanum sese contaminat usque.
Si DEUS, exclusis animabus, corpora nostra
Per se animat, vegetatque; & in ipsis sentit, agitque:
Mille repugnantes, una componere debet
In sese dotes. Scelus hic admittit; at illic
Interea varios virtutum erumpit in actus.
Hic sapiens, felix, commendatissimus una
Omnibus officiis; alibique miserrimus idem:
Pronus ad omne scelus, vitio teterrimus omni.
Hiccine porro DEUS? monstrum quinimo nefandum:
Idolum vanum cerebri, sibimetque repugnans.
Quam certum est igitur, mundi quod Conditor exstet
Tam pariter res est comperta, quod unicus exstet.
Quam rursus certum est, debere existere Numen;
Tam certum est iterum, non posse existere plura.

Ex-

Exſtet ut in rebus DEUS: unus ut exſtet, oportet.
Ignorare nequit verum mens longius iſtud
Sana quidem: nequit in dubio mens ſobria verum hoc
Ponere: ſed minus ex animo valet hocce negare.
Quamlibet huic vero tenebras offundere pergant;
Non tamen eripient ipſi capita improba lucem.
Obſcurare queunt: nequeunt exſculpere formam
Numinis aeterni ex animis noſtriſque, ſuiſque.
Non ſecus, ac Solem nubes obducere poſſunt;
Hunc tamen haud radiis privare, haud lumine poſſunt,
Diſſipat offuſas nubes lux aurea Solis:
Mentibus offuſas tenebras lux fulgida veri.
O quicunque lubens dubiorum mergeris aeſtu!
Et liquidis rebus tenebras offundere geſtis,
Sic; ut in incertum revoces certiſſima quaeque:
Numque ſit ipſe DEUS, dubitare ſceleſtius audes,
In re tam certa, tua mens ne fluctuet anceps:
Saepius haec, moneo, tecum reputare memento.
Num DEUS exiſtat; poſſum dubitare ſceleſte;
Aſt quod is haud exſtet, fieri non certior unquam.
Quod ſit enim DEUS, hoc vero non certius ullum,
Illius exſtandi ſummo nil derogo juri;
Si revocem in dubium, ſemperne exiſtere poſcat?
Hinc mea, non ejus, ſors infelicior exit.
Nil ex parte DEI, ſi, num ſit is, ambigo; muto!
Nilque negans ipſum, vario: mutatio tota

Eſt mea! proh qualis mutatio! quamve tremenda!
Fio nocens! felix non fio! miſerrimus imo
Nunc, & in aeternos evado miſerrimus annos!
Hei miſero mihi! ſi DEUS eſt! quid certius autem,
Quam quod is exiſtat? quae me tormenta manebunt;
Si, num ſit, dubitem; vel eum, ſi noſſe recuſem!
Quot pugnae mihi ſunt intuſque, foriſque ciendae!
Extra, cum toto, bellum ſine fine gerendum
Jugiter orbe mihi eſt! totus pro Numine namque
Contra hoſtes ejus certat pugnaciter Orbis:
Quam grave, quam longum, quam formidabile bellum!
Hocce domi, multo certamen acerbius inſtat;
Quod dubitaturo denuntiat intimus hoſtis;
Conſcius in dubium revocandi, ſive negandi
Numinis, ipſe animus meus: amens iſte furore,
Atque intemperiis, ſtimuliſque atrocibus actus,
Vindicis aeterni terrebit imagine moeſtum;
Et miſerum taedis furiarum ardentibus uret,
Objicienſque nefas haec ingeret intus in aurem:
Vivis? & Auctorem vitae cognoſcere non vis?
Hancne vicem reddis benefactis? haſne rependis
Pro meritis grates; queis te Dator optimus auget?
O Coelum! coelum ultrices quin evomis ignes?
Indignumque caput perdis? quin Terra dehiſcis,
Ingratumve voras? quin tollis inutile pondus?
Quin ſcelus abſorbes diducto Tartare rictu?

Hei

Hei mihi! tam ſaevus quoties geminabitur ictus!
Et cor trajiciet, ritu verſatilis enſis!
Nuſquam tuta quies, ſinceraque gaudia nuſquam!
Nunquam pax ſperanda mihi; victoria nunquam!
Placari neſcit, ſuperari neſcit hic hoſtis.
His oppreſſa malis praeſens mihi vita trahenda:
Sed cumulata malis longe, gravioribus, inſtat
Vita ter infelix, nullum ponenda per aevum;
Heu quibus & quantis poenis obnoxia vita!
Vita autem? mors imo, & morte atrocior omni
Interitus; cunctos mihi perpetuandus in annos!
Magne DEUS! quae, me miſer, in tormenta reſervo;
Si de Te dubito; vel ſi Te pergo negare!
Iſta revolventem, quis jam modo percutit horror?
Quis ſtupor exanimat? quae deſperatio terret?
Sic, vel in hac vita non eſt impune ſceleſtis
In dubium revocare DEUM, temereque negare.
Quod ſi tam gravis eſt labor, atque moleſtia tanta,
Numinis ex animo ſpeciem detergere velle:
Tantaque poena manet, vel in ipſo criminis auſu,
In dubium, Numen revocantes atque negantes:
Noſcere nonne DEUM ſors feliciſſima noſtra eſt?
Nonne eſt Divinae quaedam communio vitae;
Noſſe Bonum ſummum; ſed amare medullitus una?
Notio namque DEI, quae cor non urit amore,
Flamma velut fatua eſt, a qua nil concipit ignem.

Co-

Cognitione DEI; ſed quae ſociatur amori;
Noſtri animi tantum poterunt, & corda beari.
Quaeque vales, & quaeque voles; te pone caduca
Obtinuiſſe ſimul bona: mens nihilominus iſtis
Corque tuum plene non exſatiabitur unquam.
Irritare queunt; nequeunt cor iſta replere.
Uſque adeo laxas latebras, vaſtoſque receſſus
Cordibus aptavit noſtris, hac, Numen, ut arte,
Ad ſe ceu finem mentes animoſque referret.
Hinc flagrat in quovis corde infinita cupido;
Quam niſi ſumma DEI bonitas reſtinguere poſſit.
Vitae immortalis ſpes, & ſors maxima noſtri
Ardoris, ſtudii! votorum ſumma ſcopuſque!
Da dignam! da magnificam! da terque quaterque
Auguſtam! quam ferre poteſt anguſta facultas
Noſtra; tui DEUS! in nobis depingere formam!
Huic reſpondentem, da, concipiamus amorem!
Exoriare animis o Lux liquidiſſima noſtris;
Cordaque Divino depaſcere ſuaviter igne!
O DEUS! o bonitas! o infinite bonorum
Fons, & origo DEUS! Tu ſufficis unus amanti.
Vae miſeris; qui Te ſpreto, per mille caduca
Soliciti bona diſcurrunt: ſectantur honores:
Qui ſectantur opes, qui lubrica gaudia tanto
Conquirunt ſtudio; curaque coquuntur inani!
Certius haec poterant: poterant felicius in Te

Haec

Haec reperire; DEUS! nam Tu complecteris ista
Nobiliore modo; vitio omni fineque dempto.
Nempe infinitis gradibus meliora, magisque
Dulcia sunt in Te, cuncta haec; ceu fonte bonorum
Immensoque mari: quam possint esse creatis
In rebus; quae sunt stillae duntaxat & umbrae
Jllorum, queis plena Tua est natura, bonorum.
In Te deliciae sunt omnes, gaudia cuncta,
Atque voluptates, omnis decor, atque venustas:
Immensae dotes, queis nil praestantius usquam:
Nil optabilius; nil, quod perfectius explet,
Pectoris humani vastissima corda, sinusque.
In Te est; quidquid habet pulchri, Coelumque, Solumque.
Atque Salum locuples: in Te lux aurea Solis;
Stellarumque jubar; gemimarum fulgor & auri;
Hortorumque lepos; agri decor omnis, & urbis;
Et domuum species, & magnificentia Regum:
Nectarei potus; epularum gratia, & omnes
Jllecebrae sensus; cuncta oblectamina vitae.
Haec, atque infinita Unus complecteris in Te;
Sed meliore modo, quem mens non exprimet ulla.
His qui plura cupit, furit; ac non ille beatus;
Sed cupit infelix, cupit imo miserrimus esse.
At mihi pro cunctis, esto DEUS omnia, rebus:
Quin infinite sis amplius omnibus Unus;
Prout infinitis rationibus omnia vincis.

O Bonitas immenſa DEUS! bona cuncta caduca
Vaneſcunt collata Tibi, nomenque decuſque
Amittunt, ſplendore Tuorum exſtincta bonorum.
Quippe Tua bonitate magis bona fluxa retundis,
Quam lucem aſtrorum lux obruat aurea Solis!
Cor ſtolide eſt avidum, cui tu non ſufficis Unus.

DIVINA PROVIDENTIA.

Arma miniſtro tibi, certo queis cuncta retundas
Tela, quibus curam Divini Numinis, orbem,
Qua regit, & cunctis rebus qua proſpicit; auſu
Oppugnant ſcelerato homines, temereque laceſſunt.
Inſimulantque DEUM; mala quod non omnia tollat:
Quae genus humanum vaſti maris inſtar inundant.
Nec furor hic ſiſtit: fontem quinimo malorum
Eſſe DEUM latrant, furiis ſtimulantibus orci.
Hos ut conficias, ſpoliesque imbellibus armis,
Principia haec memori, quae mox dabo, mente reconde:
Ut totidem tibi ſint armamentaria prompta,
Ex quibus adverſum telo telum omne repellas
Certo ictu, certaque hoſtis; telique ruina.

Deſenſuro igitur Divini Numinis altum
Conſilium, quo nos: quo ſumma, gubernat & ima:
Prima ſtet haec ſalli ſententia neſcia: quod ſit
Deficiens è natura res quaeque creata.
Qua finitur enim parte, illa deficit omni.
Caſibus innumeris vicibusque obnoxia proinde.
Quippe addi, denique ipſi quam plurima poſſunt.
Cum bonitate DEI minime deſectio porro
Haec pugnat: deberet enim ſecus ille creare
Res infinitas; aut nullas condere poſſet.

Altera, non minus haec conſtet ſententia firma:
Dum res è nihilo condit DEUS; amplius illis
Praeter eas dotes, ſibi quas natura, ſtatusque
Ipſarum poſcit; nihil impertire tenetur.
Sic tribus angululis minime concedere plures
Angululos debet; cum vult extare trigonum:
Quod tres, nec plures poſcat natura trigoni.
Nam ſi addat quartum, jam deſinet eſſe trigonum,
Nempe ſtatis, clauſa eſt res condita, dotibus omnis:
Ultra quas, ſalva natura excurrere non quit.

Pleraque dum pulchro carpuntur in ordine mundi
Ceu damnoſa forent; aut nullis uſibus apta:
Aut rudia: aut nimium diſtorta, informia, foeda.
Haec tibi pro valido, in promptu ſit cautio telo.

Mem-

Membrorum ſine reſpectu, & per ſruſtra ſeorſim
Secluſo nexu; non eſt ſpectandus hic orbis:
Sed veluti moles variis ex partibus apta.
Cunctaque cum corpus ſcite conflentur in unum;
Ad finem, pars quaeque ſuum referatur, oportet.
Hinc minor unius partis perfectio, & impar
Conditio, poterit majorem adferre decorem
Huic toti mundo. Sic arte coloribus umbras
Miſcens in tabula pictor; ſpirantia pingit
Ora hominum: ſpecies florum, ſimulacraque viva
Umbrae ſubſidio. Sic dexteritate periti
Artificis, multas res texere, qui ſcit in uſus:
Partibus ex rudibus pulcherrima machina, ſurgit,
Ipſeque diverſus ſtatus, & variantia partium
Conciliant operi docto pretiumque, decusque.
Nec quisquam prudenter aget; ſi machina ab iſta,
Abiiciat partem, cujus non colligit uſum,
Novit enim ſaber hunc, ſummaque inexuit arte
Partem illam reliquis, ſine qua pretiumve, leposve
Aut finis ſabricae optatus conſtare nequiret.

Hisce tribus telis, tria firma ſequentia junge,
Cum ſibi ſufficiat plene DEUS unicus; orbi
Prodere ſe, dotesque ſuas non debuit unquam,
Prodere cum voluit; plane non debuit omnes:
Nec magis has illis: nec tantum prodere, quantum,

 Quot-

Quotve poteſt: ſed quas, & quot, quantumque libebat.
Nempe ipſe in cunctis liber, quo non magis alter.
Extra quaeſitis minime rationibus ullis
Impelli poterit: momenta ſed omnia agendi
In ſe ſe reperit: non indigus ullius unquam,
Non vi, non ſato: non ambitione lucrove:
Nullo animi pravo motu, Sanctiſſimus idem,
Sed bonitate mera, cum libertate movetur
Ad maniſeſtandas dotes, quibus ille beatus,
Non minus ante fuit; mundo quam prodidit ipſas.

Ex infinito DEUS infinitus oportet
Omnia conſilio ſtatuat, diſpenſet, agatque.
Hinc eſt, quod nulli penitus pernoſcere ſit fas:
Quanto conſilio mundum DEUS huncce gubernet.
Nempe infinitae mentis comprendere ſenſus,
Conſilia, impulſus, fines, finita nequit mens.
Luce tamen ſolis maniſeſtius; id videt omnis:
Ex ſumma, quod oportet, agat Sapientia ut ille;
Infinita cui ſapientia ſemper inhaeret.

Ex ſola abſtracta, bonitatis imagine, ſummae
Argumenta petunt hoſtes, & quidquid ab iſta
Non fluit; opponi temere arbitrantur eidem.
Non ſecus atque, Deo bonitas duntaxat ineſſet
Unica fine carens, nec fine perinde carerent
Supre-

Suprema illius cum libertate poteſtas,
Nonque forent dotes expertes limitis omnes.

En tibi pauca quidem, ſed praeſentiſſima tela,
Omne quibus poſſis hoſtile retundere telum.
Utque fidem redimam: juvat hisce laceſſere; pugnas,
Bellaque ſpirantes hoſtes, ſuaque arma vibrantes.

Immenſa bonitate DEI debere piacla
Averti: excludi mala debere omnia, pugnant.
Quonam igitur mala tot? quorſum tot crimina? clamant.
Si bonus eſt infinite DEUS; arceat iſta.

Infinite equidem bonus eſt DEUS; attamen ille,
Haud infinite bonitatem pandere mundo;
Ut quamvis aliam dotem haud aperire tenetur.
Eſt DEUS infinite in ſe bonus: eſt tamen ille
In manifeſtandis, propriis ſibi dotibus, orbi:
Atque adeo in dandis donis liberrimus una.
Ut poterat cunctis, ſalva bonitate negare
Omnia: ſi neque nos, nec quidquam nempe creaſſet
Unquam: ſic dum dat; minime dare cuncta tenetur,
Quae donare poteſt: aut his, quae dat; dare plura:
Aut iſta potius, quam alia ratione, graduque.
Scilicet in minima re, non obnoxius ulli,
Omnia complectens in ſe: ſibi plus ſatis unus:

Uno

Uno se felix, infiniteque beatus,
Infinita nequit finitis quin dare rebus;
Nec bona tanta queunt res participare creatae,
Conditione sua, constrictae finibus arctis.
Quantiscunque bonis, pergat, donisque creatam
Rem cumulare DEUS; non definet esse creata,
Esseque deficiens: igitur finita, caduca:
Dotibus innumeris, desecta proinde bonisque.

Ergo vi immensae bonitatis, oportet ut a se,
Omne malum DEUS excludat (saneque vel umbram,
In se non patitur vitii:) non postulat autem
Ulla DEI virtus; avertat ut omnia prorsus:
Quae mala finitae sunt consectaria quaedam
Naturae: secus & nihilum, ex quo cuncta creavit:
Estque malum; foret illius bonitate necesse
Excludi, aeternum retro deincepsque per aevum,
Desectumque rei in mundo cujuslibet omnem,
Nulla DEI pariter dos poscit, ut arceat omne
Flagitium: neque si non arceat; author haberi
Istius poterit: poterit permittere jure
Haec, quaecunque fluunt ex conditione caduca,
Et quorum, haud sibi sufficiens natura, capax est;
Dummodo praesidium justum mala vera cavendi:
Nimirum culpas fugiendi, & crimina cuncta
Suppeditet cunctis, quod sane non negat ulli.

Si

Si bonitas immensa DEI, qua semet in ipso,
Is bonus est: non solum a se se excludere cunctum;
Sed prohibere malum deberet ab omnibus omne:
Non modo nulla forent mala, quae sunt; nulla sed esse
Possent. Quippe DEI bonitas inimica malis est:
Non minus his, quae sunt; atque his, quae existere possunt
Quin exstent quondam: nulla ergo exstare valerent.
Porro impossibile esse malum qua lege, quis unquam
Intulit ex bonitate DEI; aut concludere possit?
Quae proin illaesa bonitate existere possunt:
Si quondam existant; ipsa integra oportet, ut extent.

Magnum equidem mens nostra bonum est; non est tamen ipsa,
Quod DEUS est: cujus perfectio solius haec est:
Ut vicis expers sit: sit ut immutabilis unus.
Caetera tot vicibus, cur sint obnoxia; causa
Est: quia naturam DEUS ex se haud edidit ullam,
Verum de nihilo, penitus res condidit omnes.
Sunt igitur bona nostra, DEI purissima dona:
Et mala; sunt nihili mera consectaria nostri.
Nec tamen ex nostro, satali lege sequuntur
Crimina sic nihilo, nequeant ut prorsus omitti.
Viribus arbitrii divino Numine fulti;
Possumus, ac sancta lege, ista cavere tenemur.

Haec gravius reputans, quivis concludet aperte:
Ad labefactandam divini Numinis aequam

Cu-

Curam, quam coelum, terrarum qua regit orbem:
Et nostra salva nos libertate gubernat:
Non satis esse Atheis causas exquirere quorsum
Tot mala permittat: sed demonstrare necesse est,
Nullas esse DEO causas; mala nostra sinendi:
At fatali illum lege, haec arcere teneri.

Porro licet penitus nequeamus noscere fines,
Ob quos permittat Numen mala quaeque seorsim:
Cum tamen adductis certis rationibus usque,
Tum liquido demonstretur; non posse malorum
Principium esse DEUM: nec eidem posse deesse
Fines & causas (Rationis lumine, quarum,
Non paucas ipsi assequimur) mala nostra sinendi:
Sive ea; quae nihili sunt consectaria nostri:
Sive ea: quae plena cum libertate patramus:
Quin is vel minimum laedat jus ullius unquam;
Quam certum est igitur, nostrum plerumque latere
Hos fines animum; tam res est certa, quod adsint:
Quotve DEO noti sint, nilque sit aequius illis,
Idcircone autem quae sunt manifesta, negabis;
Abdita quod nequeas hebeti comprendere mente?
Aut ideo quidquam, proba demonstratio nutat;
Parte quod haud omni, res demonstrata, nitescat?
Solem extare nega! licet illius aurea quippe
Lux oculos feriat; naturam haud perspicis ejus.

Est

Est proin (conclusisse juvat tribus omnia verbis:)
Nostra, sibi non sufficiens natura, malorum
Fons & origo: DEUS caput est & summa bonorum.
Jam quaedam mala sunt, mera consectaria nostrae
Undique descriptae naturae finibus arctis:
Quae Physica appellant: alia arbitraria nobis;
Non male, quae dices: moralia, voce Latina.
Jlla nec infaustos reddunt, nec reddere possunt:
Quin virtutum etiam seges esse uberrima possunt:
Haudque alio nos fine DEUS non eripit illis.
Haec si nos perdunt; ipsi nos perdimus ultro,
Nostroque omnino vitio, culpaque perimus.
Nostri etenim arbitrii mala sunt ea, liber abusus.

At peccatorum cum me praesciverit omni
Retro aetate DEUS; cur condidit? (impius instat:)

Sane, non ideo, ut pecces; te condidit: imo
Ne pecces vetuit: te libertate cavendi
Delicta, instruxit: vitae mercede beatae
Suaviter invitat vitanda ad crimina, culpas:
Æternaeque minis poenae deterret ab illis.
Tu tamen his spretis; pergis nihilo minus ultro,
Sponte, sciensque, volensque graves admittere noxas:
Quem tibi praestituit, finem pervertere pergis.
Vivis: tanquam idcirco; ut pecces, conditus esses:

Ne mirere, DEUS merito te plectet: at ipse
Te miserum reddis, faustum cum reddere posses
Ipsius auxilio: sine hoc, te condidit ille:
Ni tamen obstares: obstas? fine excidis alto.
Tu proin exitii es; certus Fons ille Salutis.

Tune impertito, si munere perperam es usus;
Hunc, qui donavit, pravè donasse revinces?
Aut demonstrabis, quod non donârit amicè;
Sic ubi collatum; res est manifesta fuisse? ac
Ne potuisse quidem secus hunc dare; qui dedit istud?
Me, sed abusurum dono si viderit omni
Retro aetate DEUS; possumne salubriter uti?

Tu vero poteris. Divina scientia falli
An poterit? minime porro. Sed qua ratione,
Efficies, falli posse hanc: quod munere possis
Uti praeclare; quo prave usurus es, & quo
Te sic usurum, DEUS omni vidit ab aevo?
Usurum male dono, & posse salubriter uti;
Vidit utrumque DEUS cunctis aetatibus antè,
An libertatem divina scientia laedit?
Ast illam hac minime laedi; liquidissima res est,
Nec locus hac de re dubitandi est amplius ullus;
Docta quod evincunt & spissa volumina passim.

Ne

Ne tamen objectis, non responsum esse queraris.
Unum pro multis responsum, sit satis istud.
Si libertatem haec, qua nostros praevidet actus
Æternis seclis; divina scientia laedit;
De libertate ipsius quoque Numinis actum est.
Nonne DEUS summa cum libertate creavit
Omnia? nonne tamen quaecunque in tempore fecit;
Retro omni seclo, certo praevidit agenda?
Nam quid eum lateat, cui perspectissima cuncta?
Aut quid agat caece, quo non sapientior ullus?
Quodsi aeterna DEI praesensio, qua videt ipse;
Sponte sua quidnam acturus sit tempore certo;
Libertatem illi salvam, incolumemque; relinquit;
(Et certe haud adimit: sine qua DEUS esse nequiret:)
Non est ut nostram violet, vel tollere pergat:
Nec sane tollit: quin certius adstruit imo.
Haud siquidem nudos praescit quadantenus actus;
Sed modus, & ratio, quibus actio quaeque futura est:
Sunt ex omni aetate DEO perspecta perinde:
Libera, proinde videt cum libertate patranda.
Ergo tam est certum cum libertate futura;
Quam, quod non possit divina scientia falli.
Nempe rei, non est, praenotio, causa futurae.
Non etenim est ideo res eventura, quod illam
Praesciat aeternum, certo DEUS esse futuram:
Ast ideo potius, certo videt esse futuram:

Tempore quod fixo res eventura ſit illa.
Non facit objectas res ulla ſcientia; tantum
Inſpectat factas, contemplaturque futuras.
Objectam propter rem eſt quaeque ſcientia: ſed non
Hanc propter, res eſt objecta vel una viciſſim.
Hinc objecta prius res concipiatur, oportet;
Quam ſua cognitio. Nec enim cognoſcere quidquam
Mens poſſet: Verum ſi non praeſumeret ullum
Cognitione ergo, verum prius eſſe neceſſe eſt:
Utque ea praeteriti, ſic non eſt cauſa futuri.

Nempe velut ſpeculum, cui forte propinquior adſtas
Conſulturus idem: motus tibi corporis omnes
Objicit ante oculos; quin horum cauſa ſit ulla:
Hac ratione refert divina ſcientia noſtros,
Non modo praeſentes actus, ſed quosque futuros;
Quin tamen ullius fons illa ſit, & ſit origo.

Parce queri: ſi forte peris, & te DEUS annis
Æternis vidit periturum; haud ipſius ulla: at
Sponte tua, culpaque peris: te nonniſi culpa, &
Sponte tua vidit periturum: vivere felix
Si malles; poſſes: potuiſſeque, poſſeque fauſtum
Vivere, te novit, teque hoc fine ille creavit.

At DEUS aeterno periturum ſi ſcit ab aevo;
Num ne praeſcierit; prohibere in tempore poſſum?

Ne

Ne dubita, poteris. Si crimina nulla patraris:
Haud ſciet aeternum periturum te DEUS unquam,
Ob ſcelera interitum tantummodo praevidet ille.
Ludis? ais: bellum mihi pro ratione ſophiſma
Obtrudis? minime vero: ſed ſeria, ſiqua
Dici unquam poſſunt, ſimul & certiſſima dico,
Quinam iſtuc porro? pergis: ſi praeſcit ab aevo
Me delicturum; prohibere in tempore poſſim:
Ne peccaturum ſcierit retro omnibus annis?
An tu lethales vitae hujus tempore noxas
Evitare nequis? poteris prohibere proinde,
Ne delicturum DEUS ullo noverit aevo.
Quod nunquam fiet, nequit ille videre futurum.
Non tu equidem prohibere potes, ne praeſciat illud:
Sponte quod admittes facinus, pro tempore vitae:
Sic falleretur divina ſcientia quippe.
Sed, quod ſponte patras; cum crimen omittere poſſes:
Sique voles, ut velle potes, ſcelus omne caveres;
Non id praenoſſet quondam DEUS eſſe futurum.

Æternis, ſed enim Divina ſcientia ſeclis
Meque meosque omnes actus praecedit; an ergo
Hocce, quod aeternum eſt, prohibere in tempore poſſim?

Tempore, non cauſa praevertit: & illud ab actu,
Arbitrioque tuo pendet, prout usque brobatum eſt:

Quae

Quae quandoque voles; posses nolle: atque vicissim.
Proin prohibere potes pro tempore; quod Deus aevo
Praevidet aeterno: licet id non feceris unquam.
Nam quod res nunquam sit facta; futuraque nunquam:
Ne fieri potuisse illam, quis colligat inde?

Nec te angat, quanam ratione, quod anteit; a te
Qui longe sequeris, prohiberi possit: id ex hoc
Exemplo disces verumque fatebere tute.
Nunquid, cum incedis per campum sole nitente
A tergo atque retro, pergisque aversus ab illo;
Corporis umbra tui, temet praecedat, oportet:
Nec prohibere potes; ne sic praecedat euntem.
Nonne tamen tibi res est integra prorsus, ut umbra
Huc te praecedat; quam te praevertat ut illuc.
Anteeat potius dextra, quam parte sinistra:
Aut satius rectà, si rectà pergere malis.
Longius aut brevius: prout nempe incedere vultu
Averso à Phoebi facie radiante, libebit.
Aut nulla, ad solem faciem si vertere malis.

Ergo sequens, praecedentem prohibere potest rem
Haec quoties certo nexu dependet ab illa.
Hinc quia cum nostri divina scientia nexa est
Actibus arbitrii, ac pendet quodammodo ab istis
Si modo vellemus prohiberi tempore posset:

Scili-

Scilicet aeternis ne nos praecederet annis:
Aut isthaec potius, quam nos praeverteret illa;
Æternum quamvis non sit prohibenda per aevum.
Nam quae non fient unquam, neque facta fuère;
Ne fieri posse, aut potuisse quis arguet apte?
Quod supra monui hicque iterum meminisse juvabit.
Prout & quae fiunt, aut quondam facta fuere;
Quis cordatus homo potuisse negabit omitti;
Libera nimirum? quorum haec natura, statusque est;
Ut positis causis; non sit poni ipsa necesse.
Libertate etenim cum mens utatur; oportet:
Ut licet auxiliis sit agendi praedita cunctis:
His salvis, res moliri, vel omittere possit,
Prout sibi collibitum fuerit. Quo libera causa
Distat ab his; quae praesidiis cunctis ad agendum
Instructae; nequaquam actum suspendere possunt.
Sin secus; ergo actus liber, ne posset haberi:
Cum Deus aeternum praenoscat, oportet ut omnem:
Cumque suos omnes, aetatibus omnibus ante
Praescierit pariter; liber quoque non foret ullus.
Sic male, qui spoliant nos libertate, necesse est;
Haecce DEUM spolient; aut non nosse omnia dicant.

Reddere felicem (pergit latrare scelestus:)
Me tamen ille meo posset tanto absque labore,
Ecquid enim nequeat, rerum cui summa potestas?

Sic

Sic magis illius bonitas immensa pateret.
Optimus iste DEUS, tamen hac ratione beatum,
Me minime reddit: sed mille subire pericla
Me sinit! Herculeos jubet exantlare labores!
Meque per ambages (rectà cum ducere posset)
Ducit ad ancipitem tanto discrimine finem:
Semper ut aeternae jacienda sit alea sortis!

Duceret at saltem minus arcto tramite; quam sit,
Qui tot juratis est hostibus undique septus:
In quo, tot mihi sunt metuenda pericla salutis;
Quot passus facio: scelerum tot monstra nefanda:
Bella tot: ac proni tot in orcum denique lapsus!
Duceret aut demum, vel per magis ardua, quam sint;
Haec, quae me cruciant; modo me praestaret ab illo
Exitio tutum, cujus vel mentio summum
Incutit horrorem, & tantum non enecat aegrum!
Caetera, cum prorsus dubium incertumque salutis,
Tanta pericla velit, tantos superare labores,
Divinum Numen: tot denique volvere casus,
Non video: penitus nequeo comprendere mente
Cum summa quonam pacto haec bonitate cohaerent?

Estne tibi mens sana satis; qui talia garris?
Estne infinitae quaedam reverentia mentis?
Notio vel tenuis divini Numinis estne?

Haec-

Haeccine pro ſano te quis putet eſſe locutum?
Quas vomis inceſto ſceleratus ore querelas;
Non ratio, ſed caecus amor: ſed inertia, torpor:
Sed furor & rabies atque ipſa amentia dictant.
Tune DEO leges ſtatuas, quibus augeat is te
Donis? praeſcribas, quanam ratione gubernet?
Nunquid eo melior, nunquid ſapientior illo es;
Cui mens, conſilium, ratio, ſapientia ſumma;
Cui dotes omnes expertes limitis omnis;
Queis ſine nil ſtatuit: contra quas nil agit unquam?
Unde tibi tanta haec ſapientia? num DEUS ulli
Quid melius ratione ſua dedit? aut habet ullus
Dotem ullam, quam non acceptam debeat illi?
Aſſequerisne altas rationes: perſpicis omnes
Fines & cauſas, adjunctaque ſingula: ſenſus,
Conſilia, & nutus: omnes nexusque, viasque;
Magna gubernandi, quibus ars comprenditur illa;
Qua, ſuſpenſa ſuis ex partibus omnia Numen
Continet, ac mundum ſalva bonitate ſua, atque
Incolumi noſtra, nos libertate gubernat?

Te quereris, non perſpicere haec? mirumne ſit ulli;
Talpa oculis; vaſtum, quod caligantibus aequor
Metiri nequeat; ſibi quae vix adſita, cernit?
Nae tu huic es ſimilis, cui cum doctiſſima praeſto eſt
Machina, ſtructurae cujus non perſpicit artem:

Nec ſatis aſſequitur, quibus illa ſit uſibus apta:
Aut quo pertineat pars ejus quaeque ſeorſim.
Doctum opus, artificemque manum condemnat inique:
Cum ſimul hunc merito ſua craſsa inſcitia damnat.

Teque, Deumque tuis incendere mitte quaerelis:
Quos minus aſſequeris, quondam mage lumine ſolis
Perſpicies fines aequos ſanctosque fuiſſe.
Hos liquido toti DEUS olim deteget orbi.

Te, querreris, non perſpicere haec? at perſpicis iſtud:
Infinita DEO ratio bonitasque quod inſint
Nilque ſine his Numen ſtatuat, disponat, agatque.
Id monui toties: tu clavo fige trabali.
Sic omnes nodos, ita cuncta aenigmata ſolves,
Quae male nexueras, & quae tibi ſuggerit orcus.

Te, tua felicem vellet ſi reddere juxta
Vota DEUS; bonitas illuſtrius ipſius (inquis:)
Se manifeſtaret: nil pugno: fac fore ut inquis.
Oſtenſum ſed enim luce eſt jam clarius ante:
Nulla lege DEUM, bonitatem pandere mundo,
Aut aliam dotem quamcunque aperire teneri,
Omnes immenſae ſunt nempe in Numine dotes
Infinita pari eſt cum libertate poteſtas
Uno ſe plene felix DEUS; haud eget ullo
Nil ulli debet: debent illi omnia cuncti.

Gau-

Gaudeat immensa DEUS ut bonitate necesse est,
Illam infinitam minime ratione tenetur
Cuiquam impertiri, majoreve prodere sensu
Quam velit ad fines, sibi quos praefixerit ipse:
Fines: quos legit atque sacrat sapientia summa,
Et quibus immensum pretium designat & addit,
Caetera, quantumvis perfectio Numinis omnis
Infinita sit, effectus tantummodo certis
Finibus arctatos DEUS omnes edit ad unum.
Quippe creatarum rerum natura; necesse est
Finibus arctetur: cum non virtute suamet
Extet; at è nihilo divino munere surgat.

Divinarum igitur vera infinitio dotum
Non ex effectis; quaeque DEUS edidit usque,
At magis ex operandi ipsa ratione, modoque:
Omnia, quo peragit; pensari, fineque debet.
Scilicet è nihilo, quod fecerit omnia, & illud
Infinitum intervallum, quod res jacet inter;
Et nihilum rerum, nutu superaverit uno
Dixerit, & dicto citius sunt omnia facta.
Tum quod ad excelsum, quo nil sublimius usquam
Esse potest, referat finem; se scilicet ipsum.
Quod demum in minimo Deus non obnoxius ulli,
Liber in edendis effectibus unicus ipse
Existit: nec in his opera ullius indiget ulla.

En capita! unde bonis, queis nos Deus optimus auget,
Quae male, parva tibi, quin & contempta videntur;
Immensum quoddam accedat pondusque, decusque.

Quid quereris, bona pauca tibi concessa; tuam, quae
Naturam absolvunt; sortitus es omnia: siqua
Caetera divinum Numen tibi forte negavit,
Non sine fine alto, & summa ratione negavit,
Naturae, ista, tuae minime perfectio poscit.
Quem Deus intendit fini, & tibi forsan obessent.
Non prosunt certe: tibi enim non illa negasset:
Et possessa, tuam mentem satiare nequirent.
Nec sane multum refert haec esse negata:
Hoc ubi, quod rerum caput est, & summa bonorum
Est impertitum: mens immortalis; amando
Scilicet & cognoscendo DEO idonea & apta.
Finis hic immensum pretium statuitque, facitque
Naturae, statuique tuo, tibi denique toti;
Quisquis es ac utcunque tibi miser esse videris,
Isto, non alio DEUS ipse est fine beatus.
Semet ab aeternis, animo, complectitur, annis
Cognitione sui se distinet omne per aevum
Se se comprendit, se diligit, omniaque in se.
Æternis huc consiliis collineat. Omne,
Quod fecit: facit usque: & quod facturus in aevum est:

Huc

Huc movet, huc confert: huc destinat, aptat.
Hoc se fine beat: nos hoc cupit esse beatos.

Tanto deinde bono quaqua ratione, viaque
Te DEUS aeternum felicem reddere malit:
Dummodo sincere velit (ac vult ille profecto
Promptaque subsidia huc, atque adjumenta ministrat:)
Arripienda via est, ut ut ardua, & aspera: digna est
Quamlibet immensis merces sudoribus ista.
De summa bonitate DEI proin mitte querelas.
Optimus iste DEUS: te vult sine fine beare:
Non qua forte via, vecors ignavia vellet;
Sed quam consilio sapientia summa paravit.
Nec via, quae huc ducit, tam est horrida; quam tibi fingis.
Sunt vepribusque rosae, & sua sunt hic lilia spinis;
Carpere quae liceat: queis se recreare viator
Interdum valeat: pia nec solatia desunt,
Cuncta quibus relevare viae fastidia fit fas.
Solamen quantum! mens ipsa est, conscia recti:
Expers flagitii, virtutibus inclita pulchris
Vita, omni multò potior dulcedine, cunctis
Quam possis ex illecebris sperare caducis,
Mitto voluptates, large quas fundit in istam
Relligio ter sancta viam. Te vincere namque
Ipsius sanne rationis lumine fixum est.

Propte-

Propterea sacris documenta è fontibus, usque
Parce hausi, nec plus quam tu libaveris ipse.

Denique quos metuis, medios, tutissimus inter
Ire vales hostes, his robore major & armis,
Te quibus instruxit Rex Summus ad omnia bella,
Edocuitque: artes, quanam arte eludere possis.
Vel conjuratis hostes, si viribus instent;
Vincere te nequeunt, nisi vinci sponte volentem,
Cedentemque ultro: Poteris tu vincere contra,
Sincera si mente velis: victoria certa est.
Non, DEUS ancipiti, & dubio te fine creavit,
Ancipitem tute ipse facis, fugiendo labores;
Condidit hoc certo; vita ut potiare beata:
Non tamen absque omni, socors ut inersque, labore
Immensis potiare bonis: at strenuus arces
In superas venias spoliis, palmisque decorus
Hinc ut nempe DEI & major tua gloria surgat.
Ingenuos DEUS Athletas; non mancipis optat.

Mortales iter innumeri trivere, teruntque,
Cujus te tantum labor, atque molestia torquent.
Vicerunt hostes, vincunt feliciter: & tu
Vincere non possis? tanta mercede potiri
Absque labore voles? Hui pondus inutile terrae!
Quis ferat ignavum? certe non tutemet ipse,

Quan-

Quantumvis deses; famulum patereris inertem.
Et torpescentem, socordem acerrimus osor
Semper agens Auctor rerum, ac virtute suamet
Cuncta movens; actusque (ita si fas dicere) purus,
Te ferat? immo etiam cessanti praemia certa
Destinet: aeternam, pro vita deside, vitam?
Sic bonitas, sic deinde magis Sapientia summa,
Et reliquae dotes divini Numinis, orbi
Hinc illucescant, si pergat nempe fovere
Desidiam, mentesque velit torpescere inertes.
Quin & torpori designet praemia tanta;
Quanta est aeternae felix possessio vitae?

Parce queri de sorte tua, motosque tumultus
Pravi animi seda: decumanos comprime fluctus.
(Nam potes, & tantas movisti sponte procellas:)
Ad sanamque redi mentem tantisper ab aestu.
Quas fundis, similesque tui, quas fundere possunt
De bonitate DEI, de conditione suamet
Comperies fatuas, & iniquas esse querelas
Fontibus ex illis, quos demonstravimus usque.

Quodsi illos adeas latices, Sanctissima Christi
Relligio tibi quos aperit; tum verò stupore
Oppressus, scelus horresces, tactusque dolore
Æterna dignos poena execrabere questus.

Hic,

Hic, quibus, edifces, eruperit ille malorum
Fontibus Oceanus; qui terrarum obruit orbem,
Ærumnas infinitas, poenasque revolvens.
Nempe ubi primus homo, de conditione beata,
Qua donatus erat, donandaque tota fuiffet
Ejus pofteritas: pomi lethalis ob efum
Dejectus; ruit, & mifer è felice repente,
Omnem pofteritatem in cafum traxit eundem:
Hocque fuo lapfu fe perdidit, atque nepotes;
Mox velut objicibus ruptis, effufa malorum
Colluvies, totum late fe fudit in orbem.
Et furere in genus humanum non definit usque.
Bella, fames, caedes, morbi, contagia, peftes:
Et labor, atque dolor, luctusque & triftis egeftas.
Hisque malis pejor vitiorum exercitus omnis.
Sed mihi propofitum non eft attingere fontes,
E quibus hanc in rem deducere plurima fas eft.
At purganda prius mens eft, erroribus, aegra.
Fontibus è facris ita demum haurire licebit,
Et fentire; DEUS qua nos bonitate gubernet.

Me tamen edoceas (alius jam mitior urget:)
Quonam, cum fumma, pacto, bonitate cohaeret
Juftitiaque DEI, fors tam diverfa proborum,
Atque malorum hominum? video florere nocentes,
Atque impune mori multos: advertoque poenas
Non-

Nonnullos etiam dare: miror, non dare cunctos.
Adverſisque premi juſtos obſervo frequentes:
Fortuna quosdam laetor gaudere ſecunda,
Moereo non omnes. Haec me vehementius angunt.
Cur non quemque ſuo DEUS hic habet ordine; punit
Quosdam, aliquando reos: non punit ſemper, & omnes.
Fortunatque probos aliquos, non proſperat omnes.

Quin vel in hac diverſa juſtorum atque reorum
Sorte, gubernandi ratio divina refulget.
Vix adeo probus eſt, culpa procul ut ſit ab omni:
Vix adeo malus; ut recti nihil egerit unquam.
Sic bonus eſt DEUS; ut minime patiatur abire
Recte factorum nulla mercede, vel umbram.
Juſtus; ut haud ullam noxam dimittat inultam.
Virtutum falſas, quibus hic quandoque nocentes
Effulgent, ſpecies; donisque, bonisque caducis
Munerat, & vanis perſolvit praemia vana;
Æternis poenis ulturus crimina vera.
Hicque leves punit noxas plerumque proborum:
Praemia germanae virtuti aeterna reſervat.

Adverſis ſi forte probos exerceat extra
Iſtorum culpam, virtutem hac perpolit arte:
Sunt lapis haec Lydius, quo ſe probat aurea virtus.
Igne aurum, virtus inimica ſorte niteſcit.

 Mitto,

Mitto, quod ipſe DEUS tantum juſtosque malosque
Nemo autem noſtrum certo internoſcere poſſit.
Eſſe mali poſſunt, juſtos, quos eſſe putamus
Eſſe probi; temere quos arbitramur iniquos.

Eſſe malisque probisque, DEUS communia deinde
Vult bona fluxa: palam ut faciat, quam vilia ſint haec:
Utpote quae minime dignis, non denegat: imo
Largius his confert etiam, oſtendatque caducis,
Abjectisque bonis, quantum caeleſtia praeſtent.

Adde his, quod bona fortunae, quibus improbi abundant;
Maxima conſciſcant ipſis incommoda. Quippe
Corporis enervat vires malus uſus eorum,
Et tenebris animum, pravisque affectibus opplet,
Diraque aſſiduo cor ſolicitudine vexat:
Sic, ut opes quantum; tantum haec incommoda creſcant.
Non igitur bona fortunae: bonus uſus ad horum
(Qui tamen arduus eſt multo magis ac ſibi fingunt
Mortales miſeri) felicem reddere ſorte
Tantisper poſſit: verum quid rarius iſto?

Sed mage felicem fore te nihilo minus inſers;
Si bona fortunae jungas virtutibus: at tu
Experiere tuo magno malo, ut ardua res eſt;
Virtutes ſolidas opibus conjungere magnis,
Quantaque in his inſint irritamenta malorum.

Hic

Hic demum nonnulla DEUS, non omnia punit
Crimina. Nec minus hinc Ejus Sapientia fulget.
Si quot quot gravius peccant, minimeque laborant
Hic lacrymis abolere neſas, plectantur in orbe:
Credere pronum eſſet, nullas ſupereſſe luendas
Poſt mortem poenas. Contra ſi crimina nulla
Hic DEUS afficeret poenis, occaſio multis
Praeberi poſſet dubitandi ſitne ſupremus
Arbiter & Judex ſcelerumque accerrimus ultor.

Par quoque fluxorum ratio repetenda bonorum.
Haec, ſi poſcenti DEUS haud concederet ulli;
Ipſius illa poteſtatis non eſſe, videri
Poſſent. Si, contra, rogitanti nulla negaret,
Servitium facerent ſuſpectum dona caduca.
Quippe DEO, hac una cauſa ſervire volemus:
Nonque pios, ut vult ſervos, ſed haberet avaros.

Quid, quod ſervari mirabilis ordo nequiret,
Quo, rudibus doctos: inopes locupletibus: & quo
Infirmos validis: magnos cunjungere parvis:
Verbo; ex diverſis membris coaleſcere corpus
Humani generis voluit ſapientia ſumma.

Certius haec tamen & ſexcenta ſimillima tela
Eludes illis, queis te munivimus ante
Invictis armis. Breviter ſi nempe reponas:

Infinita DEO bonitas, ſapientiaque inſunt:
Queis cum ſemper agit, contra quas non facit unquam.
Mens brevis Æternae non quit comprendere ſenſa.
Ut natura DEI, ſic omnia conſilia ejus
Noſtrum infinite debent excedere captum.
Scilicet haec ſanae conſtat ſententia menti:
Infinita rei ſi ſit natura; neceſſe eſt,
Ut cunctus modus illius ſit limitis expers.
Uno hoc momento, ratione potentius omni.
Occludes querulas lingvas, frangesque furorem
Ni tamen hic rectae rationis ſuſtulit uſum:
Ut jam vera DEI non conſtet imago ſurenti.

ANIMA IMMORTALIS.

IMmortalem animum, mortali carcere vinctum,
Expertem leti, perituro in corpore, mentem
Humanam dicam: non dono & munere solum,
Atque favore DEI; sed legibus, ordine, cursu
Naturae poscente, hac conditione creatam.
Quam non tempus edax, non vis acerrima flammae
Dissipat, aut vitae longissimus atterit usus:
Non furor hostilis, rabies non dira ferarum
Vulnerat, aut lacerat; non belli machina laedit:
Non rigor Arctous, non pestifer halitus afflat:
Nulla procella sali, nulla inclementia caeli,
Non fraus, sive dolus, non ars, violentia nulla
Offendunt, vitiantque; minus disperdere possunt.

Non, ſi terra omnes, ſi tartarus exerat omnes,
Foedereque adjunctum vires caelum exerat omnes,
Tollere de medio poterunt, privarepue vita.
Torpent hic elementa, cadit vis, irritus omnis
Impetus, atque ictus, violentia concidit omnis.
Haec homini quodcunque malum conſciſcere poſſunt:
Carcer non animus, damnum facit, atque ruinam.
Nec, ſi terrarum, reſolutis nexibus, orbis
Corruat, immani mentem tumulare ſepulchro
Eſt potis humanam, cladem que afferre ruina.
Perſtat, & aeternum, fatis impervia, vivet
Incolumis, ſecura necis, ſecura ſepulchri,
Pars hominis melior, divinaque portio noſtri.
Haud potis eſt mundus, cupiunt afferre, ſtudentque
Fruſtra Epicurei; quas peſtes, heu pudor! aetas
Noſtra parit nimium numeroſas, atque feroces!
Digni, qui pereant; ſed ita, ut pereundo perennent!
Attamen inſanis iſtis meliora precabor.
A ſuperis ſanum, praeclara de indole mentis,
Conſilium optabo, ſenſumque optabo ſalubrem:
Ut non abiiciant ſeſe, pecorique coëquent;
Quos DEUS ipſe ſui ſignavit imagine vultus:
Et mortem aeternam ſibimet conſciſcere ceſſent,
Qui temere nolunt aeternam vivere vitam.
Si modo dura velint molleſcere pectora, ſancto
Numinis afflatu, diumque admittere lumen.

Tum

Tum firmis argumentis ostendere pergam,
Immortali hominum donatas indole mentes.
Si dare forte locum malint rationibus, isti;
Qui stolido pergunt conatu perdere mentem.
Tu! cujus nostris in mentibus ardet imago;
In coecas animas caeleste repercute lumen;
Ut se respiciant, tenebrisque involvere cessent!
Me quoque divino collustra lumine; cujus
Subsidio, erroris noctem dispellere possim!
Est animus noster res prorsus corporis expers:
Corporea, toto, diversus ab indole, caelo.
Principium vitae: fons cognitionis, amoris:
Et mirabilium factorum, atque actuum, origo.
Spiritus atque adeo merus, & substantia simplex:
Officiis exercendis vitalibus aptus:
Non intra organicum duntaxat corpus, at extra
Id quoque; diversis praestanticus actibus aptus.
Conditus ob finem, qui aeternum durat in aevum.
Haec argumentis si demonstravero firmis;
Humanas animas, erit hinc concludere pronum,
Esse immortales ex legibus, ordine, cursu
Naturae ipsius, non vero favore supremi
Spirituum Domini. Primum: res corporis expers
Est animus noster; solida hic extensio non est.
Sed neque corporeus modus est, aut turba modorum.

Dividua in partes, ſolida eſt extenſio quaevis:
At noſter partes animus non continet ullas.
Dividua omnino ſi mens eſt; dividui actus,
Affectuſque ejus, ſua ſint in membra, neceſſe eſt.
Nulla erit ergo rei repraeſentatio ſimplex:
Noſter amor concretus erit, compacta voluntas:
Judicium ex certis membris coaleſcet, eritque
Dividua interior quaevis affectio mentis.
Nam quia dividuum eſt, quia ſectile corpus in artus;
Dividua illius ſit quaeque figura, neceſſe eſt:
Dividuum pondus, moles, plexuſque, ſituſque,
Dividuuſque modus ſit quilibet ejus, oportet.
Nempe modus ſimplex recipi in re ſimplice ſolum;
Dividuuſque in compoſita duntaxat ineſſe
Re valet: ut quemvis docet harum notio rerum.
Nam neque mente modum fas eſt effingere, quonam
Simplex compoſitis affectio rebus ineſſe
Poſſet: & in partes diſcreta affectio poſſet
Simplici ineſſe rei: maniſeſto haec quippe repugnant.
Eſt animi porro quaevis affectio ſimplex:
Notio judicium ſimplex: concluſio ſimplex:
Atque amor, atque odium, ſpes, deſperatio, ſimplex.
Nam quis in his partes, aut quos conſomniet artus?
His molem quiſnam tribuat, plexumve, ſitumve?
Iſta, figurata ſibi quis ſub imagine, ſiſtat?
Haec quiſquam credat trigona, rotunda, quadrata?

Aut

Aut alia quavis fingat donata figura?
Albaque vel nigra? seu quovis suffecta colore?
Da mihi principium, medium da, da mihi finem,
Da mihi dimidium, da partem cognitionis!
Nostra igitur mens est penitus res corporis expers.
Praeterea, mens humana est substantia. Quippe
Non poterit nostrae esse affectio corporis ulla
Principium vitae: cognoscendi atque volendi
Fons & origo nequit modus ullus corporis esse:
Totaque congeries istud nequit esse modorum
Corporis. Est autem mens nostrae fons & origo
Vitae: principium cognoscendi atque volendi.
Corporis ergo modus non est, non turba modorum.
Cognitio, rerumque scientia, vita, voluntas,
Disciplinae, artes, quarum mens nostra magistra est,
Author & inventrix: amor, aversatio, virtus,
Ordo, consilium, quorum mens fonsque parensque est:
Corporeo quocunque modo, turbaque modorum
Principium maius, tam splendida nomina poscunt.
Mens proin nostra procul dubio est substantia: cumque,
Ut paulo supra docui, sit corporis expers;
Esse hinc colligitur racta substantia simplex.
Inter enim hanc, & corpoream, haud intervenit ulla.
Spiritus, aut corpus, substantia quaelibet ergo est.
Spiritus est adeo mens: hoc illam arguit esse
Vis cognoscendi mirabliis, atque volendi

Vis,

Vis, quae perſpecta cum corporis indole pugnat;
Cum vi compoſita, nulla ſociabilis arte.
Innumerus animus ſibi res in imagine ſiſtit
Praeſentes: harum ſpecies dirimitque, iugatque:
Colligit ex vero verum, longaque catena,
Infinita fere ſibi conſectaria, nectit.
Nes res, quae tantum percellunt organa ſenſum,
Corporeaque valent animo ſub imagine ſiſti:
Res quoque corporea longe a compage remotas,
Percipit, & mira quadam ſub imagine adumbrat.
Odit, amatque: probat, reprobat: deſiderat, optat.
Hoc agit; atque ſuos, id agens, advertit ad actus.
Mens etenim cuiusque probe eſt ſibi conſcia, quod res
Corporis expertes, ſine partibus, absque figura,
Conſtituat ſibi praeſentes, in imagine quadam
Una, ſimplice, corporeorum experte modorum:
Nempe, Deum, vitium, virtutem, turpe, decorum:
Et ſexcentas, corporea ſine imagine, dotes.
Nonne Geometrica eſt proportio cognita menti?
Corporeumne tamen quidquam ſapit? anne figuram?
Materiaene refert molem? plexumne? ſitumne?
Nonne Geometres mentem non occupat iſtis;
Cum res occultas divina colligit arte?
Quot tamen, his miſſis, certo problemata ſolvit?
Eſt quoque cuiusvis noſtrum mens conſcia, quod res
Non modo vicinas ſibi, cogitet: arripit illas,

Quae-

Quaeque loci ſpatiis, quaeque a ſe tempore diſtant:
Vis intellectus longe lateque pateſcit:
Temporis, atque loci ſpatiis non ſtringitur ullis:
Saecula cum geſtis nato percurrit ab orbe:
Evolat in caelum momento temporis uno:
Devolat in terram puncto quoque temporis uno:
Fulmine mobilius, ſpatia infinita peragrat:
Per ſolidos penetrat lapides: in viſcera terrae
Inſinuat ſeſe: res illi impervia nulla eſt.
Solis in immenſos aeſtus, Lunaeque receſſus
Perſvadit pariter: nec eam res ulla moratur:
Cognitione ſua mundum complectitur omnem.
Infinita ſere mens concipit, atque tuetur,
Quae non ſunt, nec erant, nec ſunt aliquando futura.
Hos mihi corporeis expromes motibus actus?
Tamne queant volucrem corpuſcula reddere mentem?
Hos mihi tu ſaltus exponere, curſibus auſis
Materiae, tenuis quantumlibet atque minutae?
Materiae? quae ſe nequit e ſtatione movere;
Nec mutare ſua virtute ſitumve, ſtatumve;
Hi moveat quis eam, aut minimum determinet ipſam?
Materiae? quae praeſcripta intervalla requirit,
Ut trahere, atque trahi: vel pelli, aut pellere poſſit?
Non hoc efficies, omnes licet usque profundas
Theſauros Epicuree, ſapientiae, opesque.
An cerebri nervos, ſubtiles anne liquores,

Cor-

Corporis in vasis ultro citroque meantes,
Corpora, quae non sunt in motum impellere possunt?
Atqui, quidquid agit paciturque, id, oportet, ut exiitet.
Et tamen in toto, quae non sunt corpora, mundo,
Ut mox admonui, sibi mens in imagine sistit.
An vacuum spatium fibras nervosque cerebri,
An liquidum subtile potest impellere venis?
Nostra tamen spatium sibi mens effingit inane.
Anne movent cerebrum virtus, jus, fasque, nefasque?
Anne Geometrica exagitat proportio nervos?
Nil minus; haec etenim nequeunt propellere sensus.
Portio materiae, quae nervos, quaeve liquores,
Quaeve fibras cerebri conflat, quae organa sensum,
Non agit in distans: attingit proxima tantum,
Atque sibi solum circumsita corpora pulsat.
Quamlibet in fibris subtilis ponitur humor;
Quisquis eis motus datur; intra claustra cerebri
Perficitur totus: nec puncto temporis uno'
Respondens cerebro spatium, percurrere possunt;
Mobilitate licet vincant corpuscula fulmen.
Absolvi siquidem nequit uno momine motus.
Qui proin immensos mens, puncto temporis, orbes
Motibus, arcto adeo conclusis carcere, lustrat?
An motum immensis communicat orbibus? aut hos
Nititur in similes saltem compellere motus?
Sunt tamen haec effecta duo generalia motus.

Adde,

Adde, quod a motu motus non differat alter,
Nec differre poteſt, niſi diſpare mobilitate;
Quatenus hic tardus, celer is, velocior ille eſt.
Rectus enim a curvo proprie non diſcrepat, iſte
Ex infinitis quoniam componitur illis.
Non ſecus, ac rediens in ſeſe linea curva,
Ex infinitis repetit *tangentibus* ortum.
A ſe mobilitate proin tantummodo, diſtant
Notio, judicium mentis, collectio, ſenſus
Intimus, ac amor atque odium, moerorque, dolorque,
Sexcentique modi, quorum mens conſcia vivit:
Si ſenſus animi, cerebri ſunt motio ſolum.
Ac nimium ſimiles motus ſunt motibus omnes:
At vero quantum differt hic ſenſus ab illo?
Quantum ab amore odium? quantũ a moerore voluptas?
A dubio quantum proba demonſtratio diſtat?
Et tarda, & velox agitatio particularum,
Recta, ac innumeris maeandris motio torta,
Materiae, e ſpatio in ſpatium; migratio ſolum eſt.
Nonniſi mobilitas, ac vis majorve, minorve;
Et varia in varias, directio corporis, oras,
Perſpecta motus in cognitione relucent.
Quo magis attente penſatur notio motus,
Hoc magis immanis ſeſe diſtantia prodit
Cognitionem inter noſtram, motumque localem.
Materia motus, ſi cognitionis origo eſt;

Effectus causae praecedit nobilitate.
Actio nobilior quippe est, res noscere; quam se
Aut aliud quodvis corpus, statione movere.
Pelle, utcunque voles, corpus: concide minutim:
Concisus agita partes, quate, dirige, versa,
Collige, condensa, transpone, repercute, sparge.
Accelera cursum, cohibe, moderare, retarda;
Non tamen excuties, ex motibus omnibus hisce
Cognitionem unam: non hinc nascetur amoris,
Aut odii, aut alius, supra quos diximus, actus.
Tum, si cognitio cerebri succussio tantum est;
Mens humana nequit proprios advertere ad actus,
Discutit illa tamen, quae cogitat: approbat illa,
Haec reprobat: circa haec suspensa est: corrigit ista.
Res manifesta proin, nobis sensum intimum inesse.
At quocunque modo, cerebri succussibus, instes
Explanare animi motus, atque intima sensa;
Nil tamen adduces hac parte probabile. Quippe
Nervorum cerebri motus, motusque fibrarum,
Et liquidi in fibris quaecunque agitatio: verbo,
Motio materiae, sensus nequit intimus esse.
Hic etenim, cum sit perceptio cognitionis
Praesentis menti, vel cognitionis imago;
In motu nulla poterit ratione reponi.
Esse etenim alterius motus nequit alter imago.
Motus enim, quamvis extundere posse, daretur
Objecti speciem, tamen ille iteratus, eandem

Dun-

Duntaxat ſpeciem rurſus producere poſſet
Porro iterata rei ſpecies, perceptio non eſt,
Quam vulgo ſuerunt hodie vocitare: *reflexam*:
Non eſt diſpectus, non cognitionis imago.
Utque repercuſſus ſonitus, perceptio non eſt
Directi, ſimilis quantumlibet ille ſit iſti:
Sic unus motus, repraeſentatio non eſt
Alterius motus ſimilis. Tanto minus ergo,
Si ſint diſſimiles, illum valet iſte referre.
Eſt proin a motu res diverſiſſima, ſenſus
Intimus, atque animi quaevis affectio noſtri:
Quamlibet internis animae noſtrae actibus, anſam
Praebeat, in ſenſus aliunde impreſſio facta.
Quid, quod cognitio, mentiſque affectio quaevis,
Vitae actus cum ſit, fonte interiore profectus,
Interior quaedam eſt animi mutatio. Porro
Fibrarum, ſuccique in eis agitatio nuda,
In qua Epicurei ſenſum mentemque reponunt,
Exterior, non interior, mutatio tantum eſt.
Eſt ſiquidem e ſpatio in ſpatium translatio ſolum.
Nervorum, clauſique canalibus hiſce liquoris,
Incolumi ſucci ſpecie, textuque fibrarum.
Non ſecus, atque undae curſus per fluminis alveum,
Exterior, non interior, mutatio lymphae eſt.
    Saepe animum ſubeunt, diverſa per oſtia ſenſum,
Una corporeae dotes: ſonituſque, colorque,

Et calor, atque ſapor, moles, & pondus odorque.
Ut, cum epulans audis cantus, ſentitque ſaporem,
Sentit odorem una, ſentit ſpectatque colores.
Tot ſibi diſſimiles, momento temporis uno,
Percipit ille tamen ſenſus; diſcriminat, imo
Judicium ſert, quae reliquis affectio praeſtet;
Quae faciat ſenſum jucundum, quaeve moleſtum.
Jam, ſi materiae certa eſt, mens, portio tantum,
Senſus item mentis, cerebri commotio tantum;
Qua ratione poteſt, ſibi tot componere ſenſus,
Judiciumque ſimul de quovis ferre ſeorſum?
Totne ſimul motus recipit pars quaeque cerebri?
Pars affecta ſono, non eſt affecta ſapore:
Quippe nequit varios eadem ſimul edere motus.
Quam ſapor exagitat, color hanc non afficit una.
Pars proin icta ſono, nequit hunc conferre colori;
Icta colore, nequit fucum conferre ſapori;
Non alios ſenſus componere ſenſibus ullis,
Aut aliquam dotem cuivis componere doti-
Non ſecus, ac motus animi, quos percipit alter,
Motibus haud conferre meis, quos ſentio, poſſum.
Atqui, judicium formari mente, repugnat,
Quin ſimul, ad ſummum, duplex ſit notio praeſens
Menti, quo nempe unam alii componere poſſit.
Principium ſimplex nobis ergo inſit, oportet,
Ad quod noſtra queat perceptio quaeque referri.

De-

Denique, mens hominis se certo existere, sentit;
Vivere se novit; sentit se noscere, velle,
Multa audire, videre, pati, gaudere, dolere;
Reque alia clare sese distinguit ab omni:
Consciaque est horum sensum, prout conscia vitae,
Quod satis idem, hominem, sensus docet intimus omnem.
An quoque materiae se existere portio sentit?
Anne etiam sentit se vivere? nosse? patique?
Totane materiae majuscula portio, quanta est,
Ex qua compages humani corporis exstat,
Istius sensus est conscia? totane vitae?
Consciane est atomus quaevis, qua corpora constant?
Si quaevis atomus sensu caret, ut caret omnis.
Qui fit, ut, ex atomis sensus expertibus, atque
Impotibus vitae rationis, machina surgat
Et vitae, & sensus, rationisque inclyta dote?
Num poterit summae, num partibus omnibus una
Collectis, tribui dos, aut vis, ullaque virtus,
Quae, vel parte sui, parti non insuit ulli?
Atqui summa rei nihil est, nisi partium acervus,
Nec sane poterit vim junctio partibus ullam
Addere; si partes omni caruere seorsim.
Partium enim nexus, modus est tantummodo. Porro
Vis, actusque nequit, nisi de substantia oriri.
An fibrae, nervique, & subtilissimus humor,
Qui fluit in fibris, est tantum conscius horum

Sen-

Sensum animi, paulo quos commemoravimus ante?
Sed quae constituunt cerebri, corpuscula, nervos,
Quaeve fibras conflant, subtilem quaeve liquorem,
Sunt atomis similes illis, queis caetera constant
Corpora: quocirca sensus quoque competet istis.
Ast dederim, a reliquis atomos differre fibrarum,
Et liquidi illius, quod fibras irrigat intus:
Si cognoscendi vi, si virtute volendi,
Praedita sunt, quae constituunt corpuscula nervos,
Aut cerebri fibras, liquidumque volubile fibris:
Has vires nequeunt penitus amittere, quovis
Temporis atque loci spatio: proin corporis extra
Nervos atque fibras, pollebunt viribus istis.
Ut dare, sic nequeunt istas extinguere, vires
Et locus & tempus: fibris inserta proinde
Corporis exanimi, aut late dispersa per auras,
Vi cognoscendi pollebunt, atque volendi.
Quin istis atomi pollebunt viribus omnes:
Omnibus est etenim natura simillima prorsus.
Jam si intellectus vis, partibus omnibus insit
Materia, qua constat homo: tum cuilibet insunt
Tot mentes homini, quotquot corpuscula conflant
Corporis humani molem, sane haud mediocrem.
Non puto, sic sana cum mente insaniet ullus,
Unus ut innumeras animas sibi credat inesse;
Praesertim, unius cum sit nisi conscius, omnis.

U-

Unus enimvero ſenſus meus intimus, unum
Me mihi demonſtrat; mentem proin arguit unam
Mi, ſimilique mei cuivis, duntaxat ineſſe.
Si tot, adhaec, animae mortali cuilibet eſſent,
Quotquot dividuum eſt humanum corpus in artus;
Tum, quoniam cognoſcendi vi; vique volendi
Praedita quaeque foret pars, ac proin libera quaeque,
Haec odiſſe ſimul rem poſſet, dum altera amaret;
Opprobrio haec poſſet, fore laudibus altera poſſet
Digna; haec ſupplicio, mercede ſed altera digna.
Eſt igitur mens nobilior res corpore quovis:
Eſt opus Artificis ſummi, divinius omni,
Quod tangi poterit, noſtros quod tangere ſenſus.
Mentis ad archetypum Divinae condita mens eſt
Noſtra eſtque illius nitidum ſpeculum, atque ſigillum.
Parvus & in parvo mundo, puta, corpore noſtro,
Eſt animus noſter quidam deus: ut DEUS ille
Maximus in vaſto mundo, quem finxit, & in quo
Tot miranda ſuae poſuit veſtigia mentis;
Totque ſuae dextrae monumenta ſtupenda locavit.
Nam velut hic ſummus rerum Molitor, & orbem,
Reſque omnes penitus, quas continet ambitus orbis,
Condidit e nihilo, nexuque, atque ordine miro
Omnia devinxit; ſic noſtra in imagine mira,
Innumeras rerum ſpecies, mens pingit; & illa,
Quae nunquam exiſtunt, cum vult, praeſentia ſiſtit;
Or-

Ordine diſponit, devincit nexibus aptis;
Et ſimulacra creat veluti quam plurima rerum.
Nec modo diverſas ſpecies, idolaque pingit
Interius mens: exterius ſimulacra ſtupenda,
AEmula naturae, ſtudio meditata ſagaci,
Effingit pariter; queis ſe probat eſſe ſupremi
Numinis effigiem, pollentemque indole dia:
Indole, quae tantum differt a corpore, quantum
Grande chaos vincit rerum pulcherrimus ordo:
Aut quantum tenebris, ſolis lux aurea praeſtat.
Infinita fere ſpectare opera inclyta fas eſt,
In quibus effulget diae rationis imago.
Quis numeret vivos hominum tot, totque ferarum,
Ac volucrum tot, ſpirantes in imagine vultus,
In queis Pictorum ingenium caeleſte refulget?
Deceptae volucres, Zeuxis quas pinxerat, uvis,
Appetiere avidis ſimulata cibaria roſtris.
Finxit equum, miro molimine, Cous Apelles
Sic, ut adhinnirent, qui praeteriere, caballi.
Tranſtulit in ſphaeram ſiculus, dia arte paratam,
Aſtrologus, ſeptem cum ſignifero orbe planetas:
Quos omnes unus ſic ſpiritus intus agebat,
Ut ſimiles orbes, aequali tempore plane,
Quiſque peragraret ſimulatus in orbe planeta,
Quos ſeptem peragrant errantia ſidera caelo.

No-

Nostro etiam sphaeram Gallus Sophus * edidit aevo,
Arte Syracusiae; quae tantum praevalet illi,
Quantum, Magne, tuum vincit, Copernice, dogma,
Caetera caelorum systemata. Namque rotarum
Auxilio, (quarum dentes ita morsibus aptis
Nexuit, ut dentata rotam rota, stringat, agatque;)
Caelum ementitum, simulatosque arte planetas,
Machina circumagit, cunctis ex legibus illis,
Quas prope divina reperit Copernicus arte:
Quas post Keplerum, Magnus Newtonius auxit.
Non septemgeminum cursum tantummodo septem
Rite planetarum simulat; verum insuper orbes
Quinque planetarum, qui te, Saturne, coronant:
Atque quaternorum comitum Jovis exprimit apte.
Insuper eclypses Solis, Lunaeque labores
Cunctos, deliquium cuiusque satellitis omne,
Tanto consensu, veris cum motibus illis,
Deliquiisque refert, ut opus iam sidera non sit
Observare poli, cui praesto est machina Galli.

Materiesne, operum tantorum possit haberi
Author & inventrix? motusne est solus origo?
Non equidem inficior, diversis motibus, ista
Surrexisse opera: ast quae virtus, quaeve potestas
Tam doctos rexit motus, & dirigit usque;
Quae ferrum rude mirandos aptavit ad usus;

* Ill: D. Passamant.

Nonne est corporea praestantior indole? nonne
Spiritus est? Sane, si miros qui indidit astris
Motus, & pulchro dispertiit ordine, caeli
Sidera, spiritus est: mens, quae simulavit id ipsum,
Spiritus est pariter. Nec enim se lege movere
Usque adeo sapiente potest, nec fingere quidquam
Dexteritate adeo mira, valet, atque stupenda,
Materies; hac, principium divinius, artes
Tam doctae poscunt. Recte hinc concluditur ergo,
Spiritus esse hominis mens, & substantia simplex.
Aurea nunc perpendamus commenta Sophorum,
Totque Oratorum divina volumina, Sanctas
Tot Regum leges, tot docta poemata Vatum,
Ac tot, in argumento omni monumenta Virorum.
Tot disciplinas animo peragremus, & artes,
Quas ratio invenit, mirosque aptavit ad usus,
Auctibus immensis perfecit, & excolit usque,
Et quarum fervet, certatque laboribus orbis:
Haec sapiens, sit materiae, solertia, brutae?
Sed iam pensemus, quam sit leve pondus eorum,
Contra, Epicurei, quaecunque opponere suerunt.
Artificis solerte, aiunt, tot pegmata, dextra
Facta, tot e lignis facta automata atque metallis,
Mirificos edunt motus; ut diximus ipsi.
Quidni materies, sapienti potente Tonantis

Ficta

Ficta manu, cunctos erumpere possit in actus,
Quorum, hominis cuiusque probe mens conscia, vivit?
Argumento equidem satis huic iam fecimus ante;
Quam sit inane tamen, iuvat hic ostendere rursus.
Effectus miri, quos automata omnia praestant,
Ponderis auxilió, vel elastri viribus, edi
Perspicimus liquido cuncti, doctique rudesque.
Hos dein effectus absolvi motibus, omnes
Perspicimus pariter. Nec enim vestigia in illis
Observare licet diversi a motibus actus.
Motu surrexit, motu quoque perficit actus
Automatum omne suos; illiusque actio quaevis
Materiae, e spatio in spatium, migratio solum est.
At iam multiplici ratione probavimus ante
Diversos sensus, quos mens parit intus, alitque,
Non posse absolvi motu cerebri, atque fibrarum,
Aut tenuis liquidi, quod fibras permeat omnes.
Arte licet summa, ad motus aptata ciendos
Machina, nulla sui motus est conscia. Siqua
Cessat iners, aut errat inops; ignara quietis,
Ignara erroris, cessare, errareqqe pergit:
Nec se restituit statui, quo depulit illam
Error sive quies, hominis quo ad dextera docta
Corrigat errantem, cessantemque urgeat. Atqui
Mens humana, sui plerumque est conscia motus,
Sique volens cesset; non est ignara quietis.

Conſciaque alterius generis cuiuslibet actus,
Corrigit errorem, quoties lubet; atque quietem
Permutat motu. cum vult, motumque quiete,
Artificis dimiſſa manu, ſibimetque relicta
Machina, nulla poteſt aliam producere; nec ſe
Diverſis, ab iis quibus apta eſt, uſibus, aptam
Reddere. Mens vero multas excogitat una
Machinulas bellas, diverſisque uſibus aptat.
Verum his futilibus nugis occurrimus ante.
Extenſum, opponunt, corpus mens percipit: ipſa
Extenſa eſt igitur; minim ergo corporis expers.
At non extenſas quoque res intelligit illa;
Nempe, DEUM, fas, ius, virtutes, crimina, punctum:
Non ergo extenſa eſt. Numquid DEUS omnia novit
Corpora, quae finxit? tamen haud extenditur ille.
Nam ſi non opus eſt, ut tanta extenſio noſtrae
Sit mentis, quanta eſt extenſio corporis eius,
Cuius habet ſpeciem, dum, caeli ſidera ſpectans,
Dimidium caelum depictum in imagine cernit;
Quorſum opus exilis quaecunque extenſio menti?
Extenſum poterit, licet haud extenſa, videre.
Aſt Epicurei contra vehementius inſtant.
Forte facultates cognoſcendi, atque volendi,
Materiae quoque conveniunt; privare quis iſtis
Auſit materiam? tenebris eſt abdita craſſis
Natura illius, cortex vix noſcitur eius;

Intus

Intus & in cute, quod dicunt, non novimus illam.
Luminis, atque luti, dotes non novimus omnes;
Continuone unum gemina haec dicemus, idemque?
Aut illuſtrandi vi utrumque perinde valere?
Mira, recensque profecto argumentatio! tantum
Cui fidunt Epicurei. Non novimus, aiunt,
Materiam penitus: Ratio, ſenſusque negari
Non debent illi, tribuendum utrumque proinde
Ex noto ignotum mens ſobria colligit: iſti
Ex ignoto etiam recte concludere poſſunt.
Quamvis materiae natura ſit abdita magna
Parte ſui; tamen haec, quae de illa certa tenemus,
Humanae nequeunt ſore conſentanea menti.
Materiae partes, extenſio trina, figura,
Et ſitus, atque color, diviſio, inertia, certae,
Ac bene perſpectae, ſunt dotes corporis omnis.
Hae menti, mentisque modis ita porro repugnant,
Ut prorſus nequeant uni ſubſtantiae ineſſe,
At niſi diverſis, ut demonſtravimus ante.
Notio, iudicium, mentisque affectio quaevis,
Innumeris pugnat cum partibus, ex quibus omnis
Materies coaleſcit, & in quas ſolvitur omnis.
Cum trina pugnat menſura, cumque figura,
Ac demum cum materiae vi pugnat inerte.
Materiae: cuius quaevis eſt actio motus
Duntaxat; nec enim veſtigia prodidit ullus,

Omni

Omni in materia, diversa a motibus actus.
De qua inter Physicos nondum problema solutum est:
Sene movere loco, proprio molimine, possit?
Possit at! hancque, dabo tibi, sese sponte movere.
Non tamen ex isto poteris concludere motu,
Materiam verum & falsum discernere posse,
Velle bonum, reprobare malum, depingere posse
Virtutum & scelerum species, jus, fasque, nefasque.
Tam divini actus, motu divinius omni
Principium, fontemque, exercitiumque requirunt.
Atqui animam recipit corpus, conjungitur isti.
Extensum vero est hoc: quidni extensa sit illa?
Praeterea, sentit mens nostra per ogana sensum;
His haurit res; quo magis haec sunt apta, minusve,
Hoc mens aegrius, aut probius sua munia praestat.
Quocirca, organico manifeste a corpore pendet;
Atque adeo, minime natura distat ab isto.
Mentem equidem recipit, sed non sustentat eandem,
Corpus: mens ergo nequaquam a corpore pendet;
Ut pote, per sese substantia nobilis, atque
Motibus edendis, & cognitionibus, apta,
Non intra organicum duntaxat corpus, at extra.
Porro, licet sit mens hominis substantia simplex;
Quid vetat? ut spatio sic certo existere possit,
Ut tota in certo spatio sit, totaque quavis
Parte loci ejusdem? Proprium est, existere quippe,
Spi-

Spiritui cuivis, ista ratione, modoque.
Nec tamen extensam, licet hinc concludere, mentem.
Scilicet, extensa est proprie substantia, multas,
Extra se positas partes, quae continet in se.
Atqui mens hominis partes non continet ullas:
Non cadit in nostras proin trina extensio mentes.
Mens in agendo equidem mortali a corpore pendet;
Sensuum enim auxiliis in corpore corpora sentit.
Nec tamen ad cunctos, quosquos erumpit in actus,
Auxilio sensus vocat indiga: plurima quippe,
Omni semoto phantasmate novit amatque.
Nam duplicis generis vitalibus actibus apta est.
Non modo enim sentit, sed adhaec intelligit, optat,
Odit, amat, non solum ea quae sensum organa tangunt;
Haec etiam, quae non possunt impellere sensus:
Virtutem, verum, falsumque, bonumque, malumque;
In queis noscendis nequaquam a corpore pendet.
Ut liquet inde, quod officiant saepe organa sensum,
Cum, perpendendis sese mens applicat illis,
Quae sunt corporea longe a compage remota.
Mentem inter corpusque hominis consensio prorsus
Mira intercedit. Bene menti est, corpore sano:
AEgrotante isto, cruciatur acerbius illa,
Res ergo ejusdem generis cum corpore mens est.
Sic Epicurei rursus concludere suerunt.
At nihil efficiunt; quippe haud collectio recta est.

Naturas minime similes, consensio tanta
Arguit, at solum nexum & mirabile vinclum,
Quo naturae Auctor mentem cum corpore iunxit:
Ut geminis ex rebus, homo coalesceret unus.
Ad duplices actus, ut dixeram, idonea mens est.
Sentit materiam, sed res intelligit una
Corporis expertes. Ut corpora sentiat, usu
Jlli opus est sensum, per quos, hoc carcere vinctae
Nostrae animae, debent praesentia corpora reddi;
Atque stato ritu sensus impellere debent,
Ut certum impulsum, perceptio certa sequatur.
In quo lex posita est vincli mirabilis eius
Quo DEUS humanam mentem cum corpore iunxit:
Nil igitur mirum, quod salvo corpore, menti
Sit bene. Tunc etenim, cum sint prompta organa sensum,
Materiae motu, quae nos circum undique pulsat,
Harmonico impelli ritu, atque resistere possunt.
Hos porro harmonicos impulsus, atque repulsus
Sensum, consequitur mentis perceptio blanda.
Corpore contra aegro, qui fibras inficit humor
Acrior, harmonicum motum turbatque, vetatque.
Haec exlex igitur mentem commotio vexat:
Quam dolor, aut saltem sequitur perceptio tristis.
Pene; velut citharam cum pulsat Musicus aptam,
Fungitur officio citra fastidia laetus:
Toedia mille subit, citharam cum pulsat ineptam.
Spiri-

Spiritus eſt igitur, noſtrae ſubſtantia mentis,
Partibus haud conſtans, non conſtans artubus ullis.
Nil adeo in mente eſt, cujus ratione perire,
Aut vita poſſet ſpoliari. Sed neque quidquam
Totius naturae in legibus, ordine, curſu,
Deſignare licet, quod poſtulet, ut velit unquam
Mentibus humanis vitam DEUS auctor ademptam;
Aut has in nihilum velit ille aliquando reverti.
Eſt in naturae quin legibus, ordine, curſu,
In nihilum noſtras ne porro reducere mentes
Ipſe queat DEUS, ut naturae providus auctor,
Poſteaquam mentes cumulavit dotibus illis,
Quarum perpetuum praeſtantia poſtulat uſum:
Poſteaquam finem ſtatuit dotum uſibus illum,
AEternum ſalvus qui durâturus in aevum eſt.
Ipſa animae, in partes ſubſtantia neſcia ſolvi,
Oſtendit, vitam a nulla ſibi poſſe creata
Auferri cauſa, licet omnes foedere junctae,
Hanc conjuratis everſum viribus irent.
Salva mane menti ſubſtantia, ſalvaque vita;
Quidquid agant cauſae, non huc pertingere poſſunt.
Namque animus cum ſit ſimplex ſubſtantia, ſolum,
In nihilum redeundo, poteſt ex ordine rerum
Auferri: in nihilum recidendo, amittere vitam.
Porro reducendi in nihilum res ſumma poteſtas,
Auctori ſoli naturae eſt propria virtus:

 Pro-

Prout illi soli propria est dos, visque creandi.
Sola intervallum, quod res interiacet inter
Et nihilum rerum, poterit superare potestas
Infinita DEI. Quippe haec distantia cum sit
Tanta, ut ea in rebus major non possit haberi;
Non illam superare potest finita potestas.
Quidquid consumunt, quidquid pessundare possunt
Reddereque infectum, quidquid disperdere causae,
Quas hodie Physicis libet apellare, secundas;
Nonnisi discidio nexus disperdere possunt.
Quosquos interitus, quas vidimus usque ruinas;
Discidium solum, solumque fuere diremptus
Partium earum, ex queis constabant corpora certa.
In nihilum non est atomus, saltem una, reversa.
Mens igitur, quoniam non constat partibus ullis,
Non valet in nihilum redigi virtute creata.
Nil adeo in mundo est, animas quod tollere possit
De medio; nihil est, summo quod ab Artifice, illas
Exigat in nihilum redigi. Quin plura requirunt
Ut DEUS aeternos animas conservet in annos.
Jllustres ipsas dotes, quae mentibus insunt;
Finis item, cujus causa mens condita quaeque est;
Finis, qui superest aeternum salvus in aevum:
Denique summa DEI Sapientia, Justitia, atque
Infinita ejus Bonitas, hoc postulat ipsum.

Exi-

Eximiis sane mens praedita dotibus exstat;
Quas cum fine suo si confers; non male possis
Utrinque aeternam mentis concludere vitam.
Insignes inter, quibus est mens praedita, dotes,
Sunt, primum Veri noscendi innata facultas;
Deinde boni complectendi nativa cupido;
Hasque facultates, per splendida munia & actus,
Tempus in omne exercendi completa potestas.
Ut namque ostendi multis; his actibus, apta est
Mens exercendis, extra quoque corporis artus.
Nosse potest & amare DEUM, quo condita fine est.
Se quoque nosse potest, poterit cognoscere demum
Verum aliud quodvis, sese ad bona vertere quaevis.
Hos, aliosque probos, potis est erumpere in actus;
In queis versatur mentis, ceu cardine, vita.
Hancce potestatem cognoscendi atque volendi,
Nulla creata potest vis tollere. Quippe potestas
Haec, natura animae est. Sed nec subducere Verum,
Atque Bonum poterit, quod cogitet, appetat, illa.
Denique, nulla valet vis intercedere menti,
Quominus internos erumpere possit in actus.
Mens etenim meditans extra non tendit, at in se
Terminum habet: varias species simulacraque rerum
Dum fabricat, recipit: dum percipit, approbat, infert:
Optat, amatque bonum, malaque aversatur & odit,
Sexcentisque modis se fingit, & afficit intus.

Intercedere obex ergo his nequit actibus ullus;
Motibus externis tantum interponitur ille.
Princeps nempe ſcopus mentis, cognoſcere Verum eſt,
Amplectique Bonum; huc etenim collineat omnis
Mens humana, uſu rationis praedita: quod nos
Inſatiata docet verique, bonique cupido.
Porro nequit tolli penitus verum omne bonumque;
Ipſe etenim Deus eſt ſummum Verumque Bonumque,
Quocirca aeternus ſcopus eſt, aeterna poteſtas
Mentis, tendendi ad finem, finemque tenendi.
Ergo DEUS, tantis animas qui dotibus ornat,
Atque iſtis, adeo finem determinat altum,
Tollere de medio nequit has, ut providus Auctor,
Utque Gubernator, quo non ſapientior alter.
Dotibus, & fini rerum ſe accommodat ille.
Sin ſecus, illuſtres ſineret vaneſcere dotes,
Quin ut vaneſcant, ratio ſat juſta ſubeſſet.
Summa DEI debet Sapientia ſeligere apta
Adjumenta, quibus cunctas impellere mentes
Poſſit, ad officium virtutum ſponte ſequendum,
Salvoque arbitrio; (quas libertate potiri
Idcirco voluit) poſſitque avertere ſalvo
Arbitrio a vitiis. Unum tantummodo porro eſt
Auxilium praeſens, tam ſanctis finibus aptum:
Auxilium, mentes omnes quod tangere poſſit;
Nimirum merces aeterna, aeternaque poena.

Cujus enim ſtolidae, tanta eſt ignavia, mentis,
Tangere quam nequeant aeternae praemia vitae?
Aut minimum, aeternae non poſſint tangere poenae?
Nec tamen hae tangunt omnes! at tangere poſſunt.
Noſtra ita libertas ſalva e Sapientia ſalva
Numinis aeterni, hocque, DEUM vitio eximit omni.
Vitae immortalis ſine ſpe, mortalia quaeque
Pectora ad omne decus torpent, jacet inclyta virtus.
AEterni ſine ſupplicii formidine, ſumma
Improbitas, & quodque nefas, caput exerit orco;
Diluvium ſcelerum terras latiſſime inundat.
His geminis ſtimulis humana a mente remotis,
Non ſatis effulget Sapientia Numinis alti.
Denique, ſumma DEI, geminos, ſapientia teſtes
Vitae immortalis, voluit praeſto omnibus eſſe:
Nempe, voluptatem, qua mens perfunditur intus,
Praeteritae quoties vitae benefacta revolvit:
Inſuper angorem, quo mens ſeſe arguit ipſa
Admiſſi ſceleris, cujus non conſcius alter.
Unde liquet, noſtras, ſperanda ad praemia, mentes
Numinis impelli ductu, poenaſque timendas.
Praemia vel poenas, mortali a Judice nullo
Expectanda; (latent etenim virtuſve, ſceluſve,)
Aſt ab eo referenda, cui ſunt cognita cuncta.
Judicium non ſponte ſua mens occupat iſtud,
Vindicis aeterni decretum enuntiat illa,

Ac

Ac invita quidem. DEUS ergo, ſpeique, metuſque
Iſtius eſt Auctor, nec futilis ille profecto
Aſt infinite ſapiens, juſtuſque, potenſque.
Summa DEI Bonitas mentem quoque comprobat eſſe
AEternam. Si mens tot dotibus inclyta, non eſt
Interitus expers, necis expers, atque ſepulchri;
Sed redit in nihilum, vel fumi diffluit inſtar:
Tum ſtatus eſt noſter, tum noſtra miſerrima vita eſt!
Tum miſerabilior ſors conditione ferarum eſt!
Tum, ſic omnis homo eſt Divino Numine factus,
Ut nequeat penitus non eſſe miſerrimus unquam!
Nam ſi non ſupereſt felicior altera vita,
Poſt iſtam miſeram; nunquam nativa cupido
Expleri poterit, (cujus tamen eſt DEUS Auctor)
Qua flagrat omnis homo, primo rationis ab uſu,
Eſſeque ſic felix, votis ardentibus optat,
Ut ſatius non eſſe volet, quam haud eſſe beatus.
Nec valet hoc deſiderium deponere quiſquam:
Urit enim cunctos homines ſtudium iſtud, is ardor.
Eſt proin iſtius DEUS ipſe cupidinis auctor.
Expletur vero pecudum nativa cupido;
Quippe, fruendo bonis ſubjectis, ſenſibus; iſtis
Exſatiant ſeſe plene, pleneque beantur:
Bellua nec quidquam deſiderat amplius ulla.
Quaenam etenim deſiderii veſtigia talis?
Solus homo cupiet felix eſſe, atque beatus,

Ut frustra cupiens, nunquam queat esse beatus?
Solus perpetuae votum vitae intus alendo,
Intus alet fontem cruciatus, atque doloris?
Nec, si in quemque Deus bona congerat omnia mundi;
Desinet esse miser, votum id genus intus alendo,
Si mens est moritura; augebunt imo dolorem.
Quippe acuent vitae votum immortale beatae,
Quo cumulata magis fuerint bona quaeque caduca.
Nam peritura olim mens, & bene conscia mortis,
Jugiter anxietate gravi crucietur, oportet;
Cum bona cuncta, sibi collata hoc fine. videbit;
Ut possessa brevi, cum solicitudine multa,
AEternum cum tristitia, moriendo, relinquat.
Quare, si nulla est post istam vita beata,
Haec bona, queis DEUS in vita nos ditat, & ornat,
Divini sane non sunt documenta favoris;
Sed sunt supplicii, sunt instrumenta doloris.
Quippe irritandæ concessa cupidinis ergo;
Quam tamen expleri, Deus optimus haud sinit unquam.
Quocirca Numen sic nos tractare videtur;
Ac si homini, rabies quem dira fatigat edendi,
Detur odorandus cibus, & non detur edendus.
Quo nempe, olfacta, crucietur acerbius esca;
Et perimat miserum furiosius, ardor edendi.
Tam misera est hominis sors, quamvis plurima fluxa

Possi-

Possideat bona, ni melior vita altera restet
Ducenda, aeternis, sine solicitudine, saeclis.
Jam sume unum aliquem (quod multis accidit) in quem
Ilias incumbat, non interrupta, malorum,
Milleque coniurent incommoda maxima vitae.
Quem, sitis, atque fames, rerum penuria summa,
Vexent: quem diri crucient contagia morbi:
Quem, cunctis despectum, onerent convicia mille:
Cui DEUS in vita solatia cuncta negavit.
Nae, tam dura hominis sors, conditione ferarum
Deterior multo est, quaecunque istas mala vexent!
Multis quippe malis non sunt obnoxia prorsus
Bruta animantia, queis homines uruntur acerbe.
Non cadit in brutas pecudes contemptio vitae:
Non illas laedunt dirae convicia linguae:
Non sua spinosis lacerantur pectora curis:
Non cruciant conculcatae dispendia famae;
Non, odium, livor, non, aversatio torquent:
Non maledicta coquunt: non foeda calumnia torret:
Ludibrium nullum, nulla ignominia tangit:
Non sexcenta animi mala, quae nos flemus amare.
Quodque rei caput est: nequeunt advertere mentem,
Corporis ad mala, quae tolerant animantia bruta.
Sintque licet, tamen haud sese infelicia norunt.
Mortales at enim tanguntur acerbius istis,
Hucque suos animos advertunt acrius aequo.

Non

Non modo, se miseros agnoscunt esse, dolentque;
Se miseros etiam meminere fuisse, dolentque:
Dumque vident miseros fore, lugent ante dolentque.
Hinc, si non superest felicior áltera vita,
Deterior nostra est sors conditione ferarum.
Magne DEUS! non ista tuae Bonitatis imago est!
Ne scintilla quidem, hac in conditione, relucet
Illius immensi, quo Tu flammescis, amoris:
Quo bene vis nobis, quo vis Tecum esse beatos!
Nunc age, inaequales hominum componito sortes.
Quot plerumque mali, scelerum teterrima monstra,
Florentes opibus magnis, & honoribus aucti,
Jucundos sine nube dies, multisque fluentes
Deliciis, agitant; & se per cuncta volutant
Probra voluptatum, secura mente; nec unquam
Supplicii meriti, veniunt poenaeque sub ictum!
Quot contra, ingentes animae, clarissima mundi
Lumina, virtutum decora inclyta, vivere pergunt
Jugiter, immanis media inter vulnera sortis;
Assiduos inter pulsus, ictusque feroces;
Se solo sustentantes virtutis amore!
Tot mala perpessis diae virtutis alumnis,
Quae bona? quae merces? quae denique praemia restant?
Totque reos gravium scelerum quae poena moratur?
Si nullae poenae, si praemia nulla supersunt?
Post miseram hanc vitam, si nulla est altera vita;

Quae Divinarum, queeso, vestigia dotum?
Justitiae imprimis, & quae Bonitatis imago,
Mentibus in nostris deinceps depicta nitebit?
Quae vitii species? virtutis notio qualis?
Ecquis honestatis sensus? quae cura decori?
Quod chaos in vita? quae deformatio morum?
Quae turbae in populis? quae bella domique, forisque?
Quod scelerum regnum? virtutum eversio qualis?
Pone mori mentes, vitae spem tolle perennis;
Ordine mutato, virtus in crimina migrat;
Turpeque flagitium sumit virtutis honorem.
Nam si non superest post isthanc altera vita,
In qua solvantur virtuti praemia digna;
In qua suppliciis multentur crimina iustis;
Tum praesens vita est nostrorum summa bonorum.
Grande malum est igitur, quod laedit, & atterit, istam
Saepe autem virtus, praesertim heroica, laedit
Praesentem vitam; tollit quinimo frequenter.
Ut, cum pro Patriae, vita impendenda, salute est.
Contra, saepe fovet vitium, servatque frequenter:
Ut, cum se spoliis latro sustentat alitque;
Aut Dux ignavus reperit fugiendo salutem.
Ergo malum summum sibimet consciscere perget
Virtutum studiosus homo: consciscere contra
Saepe bonum summum perget teterrima pestis,
Porro bonum summum sibimet consciscere, virtus:

Sum-

Summum vero malum, ſcelus eſt, accerſere, nonne?
Unde, recens argumentum ſe porrigit ultro.
Nempe, quod aeternae vitae perſuaſio, certa
Unaque ſit vitae ſocialis forma tuendae.
Nam niſi ſit noſtris, ſententia, mentibus alte
Inſita perpetuae poenae, vitaeque beatae;
Virtus, quod dixi, iacet: obſervantia legum,
Majorum, Regumque iacet: frigetque viciſſim
In ſibi ſubiectos amor, atque paterna voluntas
Principum; & Officium ſociale relinquitur omne.
Nam ſi ſupremus non adſit criminis Ultor,
Omnia perſpiciens, qui nil patiatur inultum;
Quas ſtatuit ſceleri poenas humana Poteſtas,
Eludi poterunt; pergent peccare Potentes
Publice, & infirmi culpas clam admittere pergent.
Ergo coercendis mortalbus omnibus, una
Eſt via; ſcilicet aeternae perſuaſio vitae.
Nam, niſi mercedi, poeniſque, acceſſerit aevi
AEterni pondus; non poſſunt efficienter
A vitiis deterreri mortalia corda;
Nec ſatis accendi virtutis ad ardua facta.
Poena utcunque gravis, merces utcunque ſit ampla,
Si brevis eſt aevi; contemnitur utraque. Contra,
Poena, licet levis, & merces non magna, perennes;
Immenſum immenſo deſumunt pondus ab aevo.

Sumito nunc animas mortales. Ergone vana
Vitae immortalis praesumptio, fons & origo
Innocuae vitae sit? Sitque tot ansa bonorum?
Ergone de vita aeterna turpissimus error
Virtutes foveat? scelus omne releget in orcum?
Foedera, pacta, fidem fundet? socialia jura
Roboret? humani generis commercia firmet?
Conciliet pacem regnis, turbasque propulset?
Vera autem de morte animae sententia fraena
Laxet ad omne scelus? virtutes exigat orbe?
Cunctaque flagitiis, involvatque omnia turbis?
Quorsum iam ratio? quo veri tanta cupido?
Quo metus erroris, fuga, quorsum pertinet? error
Si fons virtutum, vitae si germen honestae est?
Sed quos, consilio sapientipotente, creavit
Mens aeterna animos, finem quibus addidit altum;
Consilio summo, non vero errore, gubernat
Verus hic aeterna de vita sensus, in omnes
Pervasit gentes, quantumvis moribus, aevo,
Artibus & disciplina, lingvis, habituque,
Relligione, locis, distantes. Barbara nulla
Gens inventa fuit, cui non, obscura rudisque
Ad summum, insedit vitae immortalis imago:
Hanc licet in multis multus vitiaverit error.
Quodsi quae deprensa fuit sine spe, sine sensu
Vitae immortalis; pecudum quoque more, notata est,

Insti-

Inſtituiſſe ſuam vitam, ſenſumque decori, &
Numinis aeterni, ſcelerum foedaſſe tenebris.
His rite expenſis, quae nos adduximus usque,
Neſcio, quis ſana poſſit ratione, negare
AEternos animos? leto omnia credere tolli?
Humano ſane reſoluto corpore, morte,
In nihilum dicet corpuſcula nemo reverti,
Quae molem humani conflabant corporis ante:
Quamlibet iſtorum non ſit ſibi cognitus uſus.
Et credet, mentem in nihilum quis morte reverti,
Cujus, poſt hominis fatum, tam nobilis uſus?
Cujus perpetuae vitae ſtant conditione
Virtutes? ſtat Religio? ſtat publica vita?
Nec tamen abſiſtunt Epicuri de grege porci.
AEqua hominum pecudumque, ajunt, ſors eſſe videtur.
Intereunt animae pecudum, mors funditus omnes
Extinguit: quidni non noſtras quoque deleat illa?
Attrito pecudum, aut vitiato corpore, ceſſat
Praecipuus finis, propter quem condidit Auctor
Naturae, infuditque animas in corpora bruta.
At noſtro pariter vitiato corpore, ceſſat
Praecipuus mentis, fuerat quo condita, finis.
Corpori enim noſtro fuit illa aptata regendo.
Nonniſi perfectis in corpore ſenſibus, orta eſt.
His proin corruptis, ipſa extinguatur, oportet.

Sed

Sed quis iners ita, ut haud videat, diſtantia quanta eſt,
Humanas inter mentes, animasque ſerarum!
Humanas animas, maniſeſto ex dotibus illis,
Queis ſunt donatae, multis oſtendimus ante,
Noſcendi cauſa ſummi Veri, eſſe creatas
Praecipue, ſummique Boni ſuper omnia amandi.
Stat porro ſcopus hic, reſoluto corpore. ſalvus;
Stabitque aeternum: DEUS utpote maximus ipſe.
Hunc animae finem, non ſolum ex dotibus ejus
Eruimus; ſed adhaec, ex Numinis ipſius alti
Dotibus immenſis, illum collegimus apte.
Poſſe bonum & verum noſtris, a mentibus absque
Corporeo cerebri, docui, phantasmate noſci.
Verbo: exercendis praeſtantibus actibus aptam
Mentem, extra corpus proprium ſatis usque probatum eſt.
Jllam duplicibus vitalibus actibus aptam,
Quod docui ſupra, hic iterum meminiſſe juvabit.
Sunt, in quos ſine ſubſidiis erumpere ſenſum
Non valet, at plures ſunt, ad quos non eget ullo
Auxilio ſensûm, quibus organa nonnihil obſunt.
Ob primi generis, cum corpore jungitur, actus.
Attamen anteſtant his nobilitate, ſecundi:
Qui ſunt: praecipimus, cui eſt mens condita, finis.
Inde, ubi contingit vitiari corporis artus,
Ut mens his minime uti, animales poſſit ad actus;
Deſerit hoſpitium, ſolitis non amplius aptum

Uſi-

Usibus. Haud secus, ac citharam citharoedus ineptam
Abiicit, & quodvis faber organum inutile linquit.
Contra, animae pecudum nequeunt cognoscere Numen,
Non possunt adamare DEUM, nec noscere verum,
Amplectique bonum, quod honestum dicere suemus.
Non supra corpus sese sustollere possunt.
Quod refugit sensus, animas quoque suflugit istas.
Namque carent intellectus virtute superna,
Qua res, corporea possunt sine imagine, nosci.
Libertate carent, sine qua, quod nemo negarit,
Ut vitium, & virtus; sic praemia, poena, repugnant,
Innumerabilium sane pecudum, atque ferarum.
Novimus ingenium; verum vestigia nulla
Virtutis, cultusque DEI, verique bonique
Vidimus in brutis animantibus omnibus usque.
Haud incorpoream speciem deprendimus unam.
Quin, ne nosse quidem distincte corpora possunt.
Obscure solum, sibi consentanea norunt,
Apta propagando generi, vitaeque tuendae.
Caetera consuse vix internoscere possunt.
Novit equus foenum, discriminat hordeum, avenam,
Pabula grata sibi; nonnullaque corpora, ad usus
Quae faciunt vitae, discernit: caetera vero
Tunc, cum forte suorum impellunt organa sensum,
Obscure tantum confusa in imagine sentit.
Ergo animae pecudum primo hoc sunt fine creatae,

Ut nimirum animent proprii sibi corporis artus.
Qui finis quoniam, vitiato corpore, cessat:
Prima simul ratio servandi cessat eadem:
Quare, animas pecudum, naturae postulat ordo
Funditus extingui, resoluto corpore, morte.
Quas adeo in nihilum DEUS ipse in morte reducit.
Adde, quod ex anima pecudum, conclusio sumpta,
Contra immortales animos, absurda sit, ut quae
Praecipuo Logicae pugnat cum dogmate: ducta
Scilicet a rebus notis minus ad mage notas.
Quippe magis nostrae natura est cognita nobis
Mentis, quam pecudum, volucrumque, animaeque ferarum.
Intimus hanc sensus non indicat, indicat illam.
At, si immortalis mens esset, non ita vinclis
Corporis exsolvi trepidaret proxima leto:
Nec tam praegelida fugeret formidine mortem.
Lucr: l. 3. *Sed magis ire foras, vestemque relinquere; ut anguis*
Gauderet, praelonga senex ut cornua cervus
Sic Epicureo *Lucretius* arguit ore.
Nil tamen ille minus, quam quod vult, colligit inde.
Mortem animae timor is non arguit, arguit imo
Esse aliam vitam letoque haud omnia tolli.
Nempe, incerta suae sortis mens angitur: horret
AEternae certum poenae discrimen adire.
Horret adhaec in morte graves perferre dolores.
Sic exire latro trepidat de carcere duro,

Cum

Cum monet, egressus feralem tortor adesse
Horam, ad suppliciumque vocat crudele, scelestum.
Nec tamen egressum timet is, sed abhorret ab ictu,
Quo sibi tollendam novit pro crimine vitam.
Quodsi post mortem sceleratis nulla timenda est
Poena; quid insana fugiunt formidine mortem?
Quorsū hanc, quo quisque est sceleratior, amplius horret?
Vidimus attonitos majore, in morte, timore:
Qui nihil, in vita docuerunt, esse timendum
Post hominis mortem. delerique omnia leto.
Audimus detestantes, ingente dolore,
Atque execrantes sceleratae crimina vitae:
More canum, rabidis lacerantes dentibus, artus.
Vidimus haec, aut saltem accepimus auribus ista,
Testibus usque adeo certis, queis credere nolle,
Credere nolle sibi foret. At non vidimus, unum
Poenituisse probae, supremo tempore, vitae:
Imo nec audimus; nec certe legimus unquam.
Gavisos autem, certis auctoribus, istos
Audiimus; quin fors plures spectavimus ipsi.
Ite procul pestes, animas quae perditis, ite!
Perdet enimvero Judex Vindexque supremus
Vestrasmet mentes, vitam quibus itis ademptum.
Non tamen hac perdet, qua vos ratione, voletis
Perdendas: perdet sic, ut pereundo perennent.
AEterna aeternos vestra est peritura per annos

Perdita mens! vivet tamen illa miſerrima ſemper!
AEternique aevi pondus, cum mole malorum
Immenſa, miſeram premet uſque, nec opprimet unquam
Qua ſub mole gemens, arcebitur omne per aevum
Primo a fonte ſuo, vitaeque a fonte beatae;
Cui tamen incaſſum jungi vehementer avebit.
Haec aeterna proin reprobae rejectio mentis
A Bonitate DEI, vitaeque a fonte beatae,
Mortis erit ſpecies nece perniciosior omni.
Nulla ardet ſic mens hominis cum corpore jungi,
Aut ſe alii cuicumque rei ſociare caducae:
Ut tunc veſtra DEO ſeſe conjungere fruſtra
Ardebit: rabieque ſuum mutabit inane
Votum, perpetuo a vita rejecta beata,
A ſummo rejecta Bono, ſummaque bonorum,
Primo a principio, proprioque a fine repulſa!
Omnibus orba bonis, cruciabitur inſuper igni;
Igni! non qualem divina Potentia nobis
Addidit auxilio, notoſque aptavit ad uſus;
Sed quem in vindictam Sapientia ſumma paravit,
Mirificaque, animas cruciandi, inſtruxerat arte:
Accenditque ſupremi aequiſſima Judicis ira.
Scilicet ut ſcelerum rea mens hos uſta per ignes
Infligi omnipotente manu ſibi ſentiat ictum.
Haec, Epicurei, veſtrae ſors certa paleſtrae eſt!

Quin,

Quin, nec in hac vita, ſpinas e pectore veſtro
Tolletis, queis vos animus ſodicando revincit,
Haud mortali ortam ſe germine ducere vitam;
Hancque adimi nulla vi poſſe, ſuſurrat in aurem.
O Epicurei! tantum quos fluxa voluptas
Faſcinat, & vitae pauca ad momenta beatae
Cura coquit tantum! tantum brevis umbra doloris!
Tamne levis vobis, tam res contempta videtur
Sors & conditio vitae ſine fine beatae?
Tamne parum mentem manifeſta pericula tangunt
Damni infiniti, luctus, poenaeque perennis:
Ut niſi luce ipſa manifeſtius iſta probentur;
Immortalem animae renuatis credere vitam?
Argumenta, quibus mentes evicimus uſque
Eſſe immortales, quamvis apodictica non ſint:
Quis tamen eſſe neget momenta graviſſima, digna
Aſſenſu firmo? quis, ſolicitudine ſumma,
Conſiliis utens ſanis, rationeque ſana,
Errorem ſummum, minime vitare laboret?
Nec velit a tanto tutum ſe reddere damno,
Quantum eſt perpetuae jactura immenſa ſalutis?
Si mens aeternum non eſt victura per aevum:
Victuram aeternum quidnam ſenſiſſe nocebit?
Aſt infinitos ſi eſt duratura per annos
(Ut duratura eſt, qua re non certior ulla)
Quae mala ſors, quis luctus erit reputaſſe caducam:

Et, quod sit, vixisse, velut peritura fuisset;
Nec periisse tamen! nec, quamvis nil magis optes,
Posse perire! pati semper, tantumque ferendas
Servari ad poenas, atque ad genus omne malorum!
Quantus erit meminisse dolor, rabiesque, furorque,
Amisisse Bonum immensum, vitamque beatam:
Nec modico aeternos vitasse labore dolores!

RELIGIO.

Si mentis nostrae est vita immortalis; ut esse
Perspicuis argumentis ostendimus ante:
Si post hancce brevem felicior altera vita est,
Fine carens, secura metus, secura doloris,
Et minimi secura mali, secura quietis:
Vita voluptatis, cunctorum plena bonorum,
Cujus alit mens omnis ineluctabile votum,
Qua cupit expleri nostra infinita cupido;
Tum via quaerenda est, quae nos deducere certo
Possit, in hunc portum regni sine fine beati:
Tunc iuventa semel, manibus pedibusque tenenda;

Idque laborandum, ne nos avertat ab illa
Vis inimica mali genii, qui iter obſidet arcte,
Mille dolos nectens, preſſe inſiſtentibus illud.
Unica porro via eſt, ſuperas quae ducit in oras,
Et ſtatuit Divum nos in regione beata:
Ter ſacra Relligio, ſuperum commercia tractans
Atque hominum; per quam duplici ſe lumine Numen
Mentibus infundit noſtris: Ratione, Fideque.
Luce iſta gemina Numen mortalibus aegris
Se, doteſque ſuas, myſteriaque abdita pandit,
Atque ſacroſancto ſibi foedere jungit eoſdem;
Et docet, aeternum qui poſſint eſſe beati.
Relligio nempe eſt, ſpeciem quae Numine dignam
Mentibus ingenerat, meritas quae reddere grates.
Nos docet, & juſtos perſolvere Numini honores.
Relligio, vitae radix & germen honeſtae,
Quae triplicis generis praeſcribit munia, dictans:
Quid ſibi, quidque DEO, quod debeat omnibus omnis.
Relligio, ſpes una probis, certa arrha ſalutis,
AEternae ſapientiae opus, divinius omni,
Quod reperire poteſt omnis ſolertia noſtra;
Et quod caeleſtes genii procudere poſſunt.
Partibus & numeris expletum opus omnibus unum.
Hoc tamen aeternae inventum ſapientiae, opuſque,
Errorum craſſis tenebris involvere pergit
Impia foex hominum, quin diſturbare ſceleſte.

Sunt,

Sunt, qui multiplicem propugnant Relligionem,
AEternaeque volunt spem cuique subesse salutis.
Sunt, qui contendunt evertere funditus omnem;
Numinis aeterni queis regula sancta colendi,
Vana superstitio est, & re sine nomen inane.
Utrumque absurdum, cunctis utrumque cavendum.
Nec multae, nec nulla est Religio, una sed exstat,
Scilicet, ut DEUS est unus, sic unica vera
Exstat Relligio, Divino Numine digna.
Hanc ego perspicuis, primum, rationibus esse:
Esse dein veram, Divinam, unamque probato.
Exstat Relligio, Divinaque, & unica vera est,
Quam salvam retinet Romana Ecclesia sola.
Si DEUS est, si sunt homines, mundusque refertus
Mentibus innumeris est immortalibus; exstet
Cura DEI, seu Relligio veneranda, necesse est:
Numinis aeterni sanctissima norma colendi,
Virtutum foecunda parens, morumque magistra,
Regula certa DEO vivendi, aliisque, sibique.
Jllam supremi praestantia Numinis, illam
Nostrae conditio vitae, ratioque requirunt.
Quippe, DEO pietas, veneratio, cultus, amorque,
Omneque virtutum officium debetur ab omni,
Immensas ob virtutes, quibus omnia vincit,
Inque suae sundo naturae continet omnes.
Si DEUS omne bonum est, an non debetur eidem

Omnis amor, quo noſtra queunt flammeſcere corda?
Eſt vero DEUS omne Bonum, Bonitasque ſuprema;
Indeque ſummus amor merito debetur eidem:
Supremae Majeſtati reverentia ſumma,
Juſtitiae aeternae timor, obſervantia digna;
Atque Poteſtati demiſſio ſumma ſupremae.
Nec minus ob dotes, queis nos locupletat & ornat,
Et quarum primus fons, finisque ultimus, ipſe eſt,
Sunt etenim bona noſtra, DEI puriſſima dona,
Omnibus officiis omnes obſtringimur illi.
Quae proin a nobis reddi ſibi jure repoſcit;
Haecque negare ipſi ſana ratione nequimus.
Nec vero dubitare licet, num poſtulet iſta.
Quorſum etenim tam multa Deus, tam ſplendida paſſim
In mundo poſuit virtutum ſigna ſuarum?
Auguſtaeque ſuae naturae fulgida quorſum
Mentibus impreſſit penitus veſtigia noſtris?
Quove facultates, quibus illum noſcere, amare
Poſſumus, impertit nobis, ſi ſpernit honorem,
Notitiamque ſui, nec noſtrum curat amorem?
Quid ſibi vult mundi molitio? quid ſibi noſtri,
Quid ſibi cunctarum vult, quaeſo, creatio rerum?
Si cultum immenſis virtutibus abnuit omnem
Deferri a nobis? ſi laudes, vota, precesque
Negligit, ac nullo discrimine Relligionem
Ponit, & officiis hominum non tangitur ullis?
Tangi-

Tangitur obſequiis at enim Deus ordinis Auctor.
Virtutum harmonia nihil eſt acceptius illi;
Tangit eum pietas, veneratio tangit, honorque;
Tangit amor, tangit caſta obſervantia legum,
Queis ſua nos voluit Sapientia ſumma teneri;
Puraque Relligio tangit, quam condidit ipſe,
Quippe ſtata totum mundum qui lege gubernat,
Relligione regit ſacra mortalia corda.
Namque DEO ſumme Sancto, juſtoque repugnat.
Mentes, quas proprii ſignavit imagine vultus,
Absque ſui cura, ſine lege relinquere brutas;
Et pecudum ritu concedere ducere vitam.
Id quod & alta vetat Sapientia Numinis ejus.
Inde nequit menti DEUS indulgere vel unum,
Qui rationalem naturam dedecet, actum;
Ordinis exactor, vindexque acerrimus idem.
Quid magis humanae rationi porro repugnat,
Quam nullo penitus discrimine Numen habere,
Officiumque illi quodvis impune negare,
A quo, ſortiti ſumus omnes omnia noſtra,
Quidquid habemus opum, quidquid dotum, atque bonorum,
Non merito noſtro, ſed munere Numinis ejus?
Non decet aeternum tanta indulgentia Numen!
Dedecet humanos animos incuria tanta!
Numinis imperio ſunt omnia ſubdita: cui proin
Quaelibet obſequium res teſtificetur, oportet.

Libera, ſponte ſua: ſtabili, non libera, ritu:
Libera, virtutum ſtudio: non libera, curſu,
Quem ſibi conſtituit Divinum Numen, & uſu.
Omnem nempe DEO mundum ſervire, neceſſe eſt,
Et cunctas mundi partes: nam condidit omnes;
Condidit, & quamvis, propria ſibi lege, gubernat.
Quam verum eſt igitur, certumque exiſtere Numen,
Quam planum liquidumque eſt, noſtra bona omnia prorſus
Eſſe infinitae Bonitatis munera pura;
Tam liquidum, & penitus certum eſt, nos, foedere, ſancto,
Officiisque, DEO devinctos eſſe, ſacratis.
Ingenii humani, non ſunt ea munia, partus:
Vana ſuperſtitio, aut cerebri ludibria non ſunt.
Relligionis enim nobis ſentimus ineſſe
Senſum aliquem, ſtudio noſtro procul, atque labore,
Quippe vel inviti pernoſcimus, eſſe colendos,
Quorum in nos exſtat beneſactum inſigne vel unum.
Hinc, bene de nobis meritis; ſi quando negamus
Grati animi officium, procul omni teſte remoto;
Pectoris ingrati delictum diſplicet intus,
Et pudet admiſſi, nullo exprobrante, piacli.
Jus, fas: & virtus, rectumque, bonumque, malumque,
Turpe, nefas, crimen, ſine re mera nomina non ſunt,
Aut commenta hominum, vigilantum ſomnia non ſunt.
Non ſecus, ac verum, falſumque, expertia ſenſus,
Et ſine re tantum ieiuna vocabula non ſunt.

Quid

Quid noſtris eget officiis DEUS optimus? aiunt,
Sufficiens unus plene ſibi, ſeque beatus?
Tempore ab aeterno ſe feliciſſimus uno?
Non eget obſequiis, fateor, Deus: eſt tamen ille
Officio noſtro, & cultu digniſſimus omni.
Quo minus ille bonis noſtris eget, hoc magis eius
Naturae, nobis liquet excellentia, digna
Omnibus obſequiis, pietateque, laudeque digna.
Non eget officiis noſtris Deus optimus; at nos
Illius auxilio momenta in ſingula egemus,
Numinis auxilium porro prece nonne petendum,
Officiisque piis e caelo nonne vocandum eſt?
Cui Deus imperium populorum detulit amplum,
Rex Pater, officiis Nati non indiget ullis;
Stant etenim accincti quaevis ad munia ſervi,
Iſta negare tamen, citra ſcelus omne, Parenti
Filius anne poteſt? Atqui Deus optimus, omnium
Eſt Pater: hinc pietas illi debetur, amorque.
Eſt proin Relligio, dignos quae Numine ſenſus
Ingerit, atque animis virtutum ſemina mandat,
Maieſtate DEI dignos quae praecipit actus,
Mutua mortales inter quae foedera ſancit,
Propria quae Statui praeſcribit munia cuivis.
Non igitur praeiudiciis, vanoque timori
Attribui poterunt exordia Relligionis.
Serius, aut citius vaneſcunt, fontibus iſtis

Derivata, hominum commenta expertia veri,
Exuitur praeiudicium, quod commoda tollit,
Panicus excutitur, pariens incommoda, terror.
Relligionis onus pravis affectibus, atque
Impetibus caecis animi, haud adscripserit ullus.
In discrimen enim vocat omnia commoda nostra,
Atque voluptates, & fervida gaudia mundi,
Relligio: pro queis animi stat coeca cupido,
Pugnat avarities, pugnantque libidinis ignes,
Certat amor nostri, ventosa superbia certat,
Mille nefandorum vitiorum pabula certant,
E medio, sacra Relligio, quae tollere curat.
Relligionis proin solus DEUS auctor habendus.
Vindicat hanc liquido praestantia Numinis alti;
Jllam conditio vitae nostrae exigit una.
Relligione regi poscit mens quaeque creata.
Ingenium in varias homo habet versatile partes,
Innumerisque modis sese mens fingere gestit.
Alterutrum, oppositis optandi ex actibus, actum,
Plena potentia inest animo; nam liberi inesse
Arbitrii nobis, sensus docet intimus, usum.
Quae mortalis homo vult, quae probat, eligit, optat.
Haec agit; & sine vi sese determinat ulla:
Ergo perinde potest optare bonumve malumve.
Quare mens hominis, nisi certa lege regatur
Lubrica perpetuo libertas, nutet oportet.

Turpis

Turpis avarities etenim, ſuror, ira, libido,
Invidia, atque odium, faſtus, dolor, atque voluptas,
Praecipitant pronas millena in crimina mentes.
Perſpicuum eſt igitur, debere exiſtere leges,
Quae ſuſpenſa regant certo veſtigia calle.
   Omnis abeſt ſine lege decor, ſineque ordine virtus.
Exuit ergo hominem, qui vivere percupit exlex;
Et brutae pecudis ſeſe larva induit amens,
Tollere de medio qui pergit Relligionem.
Uſque adeo exlegem mentem ſanam eſſe repugnat.
   Barbara gens nulla eſt adeo effera moribus, in qua
Notio non inſit rectique, bonique, malique.
Gentibus & populis, terraque marique, diremptis,
Moribus inter ſe, linguaque, habituque remotis,
Senſus ineſt aliquis legum, vitii, atque decori;
Relligionis ineſt quaedam ſcintilla, nitetque.
Sunt proprii Heròés, ſua ſunt illuſtria facta
Genti omni & Regno, quae miris laudibus ornant.
Et ſua ſunt cuivis ſcelerum foediſſima monſtra,
Quae reprobant, damnant, quae deteſtantur & horrent.
Propoſitum pretium ſtat ubique, & penditur aequum
Supplicium vitiis, merces virtutibus ampla:
Laus recteſactis & commendatio multa;
Opprobrium vitiis, atque ignominia digna.
   Nondum tam vecors gens eſt, exlexque reperta,
Quae Patriae pacem allatam, partamque ſalutem,

AE-

AEqualis meriti cum proditione putaret;
Atque Parentum odium, ſtudiumque perinde probaret
Aut praedas cum juſtitia loco haberet eodem.
Dux Natura homines in regna coegit, in urbes,
In varios coetus, quo tanquam plurima membra,
Legibus obſtricti ſibimet, ceu nexibus arctis,
Majus, ſive minus corpus cogantur in unum.
Scilicet ut ſcite ſociatis viribus una
Omnis egeſtati propriae ſuccurrere poſſit.
Propter opem alternam quippe urbes regnaque ſurgunt.
Ut proin ſtet finis vitae ſocialis, & uſus,
Singula membra ſuum munus praeſtare neceſſe eſt.
Sin ſecus, omnia torpeſcunt, & inertia nutant,
Haud minus, ac aegro ceſſant in corpore membra,
Harmonicus morbo quoties invertitur ordo,
Quo vigor, atque ſalus ſua, conſtitit artubus ante.
Solve homines legum vinclis, exſolve ſacrata
Relligio animos: Regna, Urbes, oppida, villae
Protinus in furioſa abeunt ſpelaea ferarum.
Quin rabidas inter tigrides, ſaevoſque leones
Ducere praeſtabit vitam, quam vivere in urbe
Mortales inter plane omni lege ſolutos.
Namque famis rabiem, foedaeque libidinis aeſtus
Tigridibus rabidis, ſaeviſque leonibus aufer,
Caetera tuta tibi ſatis, & tranquilla manebunt,
Vel medias inter fauces, ungueſque ferarum

Tu nisi forte voles temere irritare feroces.
Mortales at enim non una, duplexque cupido,
Sed mille exagitant. variique cupidinis aestus.
A queis sunt cuivis totidem metuenda pericla,
Quot simul in certo caetu, vel in urbe morantur
Una homines laxis sexcenta in damna lupatis.
Adde, quod expertes cum sint rationis, & artis
Immanes utcunque ferae; ratione, dolove
Jllarum assultus irasque eludere possis.
Ast homines, cum sint pleni rationis, & arte
Consilio, atque dolo valeant, multique coire
Adversus quemvis occulto foedere possint,
Infirmasque suas vires augere, nocendi
Mille modis norint; si nulla coerceat iras
Lex & Relligio, vix est spes ulla salutis,
Seu plures uni, fraudem, seu pluribus unus,
Exitiumque parent. Res ergo nullibi nostra est
Deteriore loco, quam in, Relligione solutis
Urbibus, & Regnis penitusque exlegibus oris.
Sed res perspicua est, existere Relligionem,
Quam naturalem lubet aevo dicere nostro;
Nec quisquam negat hanc, Atheos si dempseris unos.
Jlla tamen minime numeris & partibus exstat
Omnibus expleta, ut pugnant plerique sophistae,
Qui decus & nomen falso sumpsere sophorum
Non satis illa docet, quae cultum Numinis alti,

Quae-

Quaeve hominis ſpectant finem, nec adumbrat, ut aequum eſt,
AEternae mentis naturam, proprietates,
Divinam curam, qua ſumma gubernat & ima.
Scilicet occurrunt contradicentia plura,
Quamvis in ſpeciem ſolum, inter proprietates
Divinas, naturalis quae ſolvere neſcit
Relligio, Ratioque ſua vi tollere neſcit.
Infinita quidem ſapientia Numinis, ultro
Effulget menti mirabili in ordine mundi;
Res tamen innumerae ſunt, peeſpicientia noſtra
Quarum haud aſſequitur fines, nec percipit uſus;
Quaeque ſupervacuae mortalibus eſſe videntur.
Infinita DEI Conitas quoque, fulgida paſſim
Imprimit in noſtris animis veſtigia, donis,
Innumeriſque bonis, queis nos locupletat, & ornat;
At ſimul obruitur decumana mole malorum,
Quae genus humanum jactant trucis aequoris inſtar.
Juſtitiae pariter Divinae exempla verendi,
Ipſa relicta ſibi Ratio neſcitque, notatque;
Cum tamen haud paucos verae virtutis alumnos
Impelli adverſis vicibus, rabieque malorum
Perpetuo videat: contra florere ſceleſtos,
Fortunaeque bonis multos gaudere nocentes:
Notio Juſtitiae tenebris coecata laborat.
Hinc niſi caeleſti, mentis nativa juvetur
Lumine lux; dubia haeret in his, coecutit & errat.

Quod,

Quod, coeci casus, quod, inevitabile fatum,
Fons rerum duplex, summe bonus unus, at alter
Pessimus, ac rerum duntaxat origo malarum,
Et sexcenta docent deliramenta Sophorum,
In quae sunt lapsi, nequeunt dum solvere nodos,
Res quibus humanas Sapientia summa revinxit.
Sana docet ratio, violari crimine Numen,
Laesa infinita sed maiestate, piaclo
Grandi aliqua, an veniae locus & spes ulla supersit,
Iratumque DEUM placandi, sit modus ulius?
Nullo humana potest ratio pernoscere pacto;
Consilii DEUS alta sui nisi sensa revelet.
Denique vivit homo media inter bella, cietque
Secum intestinas pugnas, acerrimus hostis
Ipse sibi, vario cum nempe cupidinis aestu,
Sexcentisque intus pravis affectibus ardens
Huc illuc rapitur mens invita atque reluctans
Nec tamen hoc civile potest restinguere bellum
Aut reperire unquam pugnae implacabilis ansam,
Aut aerummarum certum deprendere fontem,
Queis mortale genus pressum gemit, & gemet usque;
Posteritas effundet Adae quoad sera nepotes.
Nec demum formam Divini evolvere cultus
Rite potest hominis ratio. Non debuit altum
Relligionis opus, sapientia Numinis almi,
Munus adornandi, coecae permittere menti

Praecipiti in vitium. Celſa haec provincia quippe
Pendet ab arbitrio ſtatuentis munia ſacra
Numinis: Ipſius ſiquidem eſt, praeſeribere ritus,
Queis amet ille coli; qui majeſtate ſuprema
Sint digni; nobis ſua munera, dona, ſavores
Conciliare queant, niſi proin DEUS indicet hoſce
Ritus, haud retegi rationis lumine poſſunt.
Summa eſt. Cimmeriis mens eſt obnoxia noſtra
Errorum tenebris circa jus, ſaſque, neſaſque,
Circa virtutem, vitiumque, bonumque, malumque,
Ipſumque Auctorem rerum, fontemque bonorum,
Et circa triplicis generis pia munia vitae,
Quae ſibi, quaeve DEO, quae debeat omnibus omnis.
Haeret enimvero hic aquà vel Sapientibus ipſis;
Ut patet in populis omnis ſaeclique, locique,
Qui ſola duci rationis luce volentes,
Implicuere malis ſeſeque, ſuoſque nepotes,
Et toto errarunt a recti tramite caelo.
Ex quibus efficitur Ratione & Relligione,
Quae nativo homines colluſtrant lumine tantum,
Non ſatis evolvi, quae cultum Numinis, & quae
Sanctam hominis vitam ſpectant, finemque beatum.
Ut caeleſti adeo ſit opus luce, atque ſuperno
Numinis auxilio, quo mens humana Parentis
Primi hominum vitio, craſſis coecata tenebris,
Virtutum formam in miſera caligine, & inter
Tot

Tot facies ſcelerum, ac irritamenta malorum,
Atque DEI juſtam ſpeciem depingere poſſit:
Poſſit & officii triplicis comprendere ſummam:
Quid mens nempe DEO, ſibi quid, quid debeat omni.
Nec ſatis eſt, coecos animos hac luce ſuperna
Perſundi, niſi, in omne ſcelus curvata voluntas
Noſtra, DEI impulſu ad formam revocetur honeſti.
Uſque adeo mentes vitiavit noxa Parentis
Primi, ut eas reparare DEUS tantummodo poſſit.
Et ſane mira ille hominum genus arte refecit.
Quippe ſuus, noſtros ſudit ſe Natus, in artus,
Ter ſancta naſci dignatus Virgine quondam.
Nam poſtquam primaevus homo, vetitae arboris uſu,
Perdidit infelix ſeſe, feroſque nepotes,
Gens hominum demerſa malis tenebriſque iacebat,
AEternum meritis poenis crucianda per aevum
Nec ſcelus infandum ratio fuit ulla piandi,
Immenſae Maieſtatis male Numine laeſo;
Ni Pater aeternus Natum miſiſſet in orbem,
Qui vetus abſterſit profuſo ſanguine crimen,
Projectaque ſua crudeli funere vita,
Obſtrictos aditus ſuperas reſeravit ad oras.
Adventum Nati Pater atteſtatur, & illum,
AEquaevam ſibi progeniem, docet eſſe ſtupendis
Prodigiis, quorum ſama repleverat orbem.
Admoniti ſignis praeſentibus, atque futurum

Jllius adventum, multo ante canentibus aevo
Vatibus, afflatis Divino numine, & ejus,
Indiciis certisque notis, signantibus ortum,
Venisse agnôscunt populi Regemque, DEUMque,
Et Reparatorem, Fontemque, Ducemque salutis,
Immortale, latens mortali in corpore, Numen,
Non homines tantum, nec solum animantia bruta,
Ipsa etiam agnoscunt elementa expertia sensus
Obsequio prompto. Rerum namque ordine verso,
Jllum sol venisse sonat, sacroque stupore
Attonitus, faciem velat; quo tempore Luna,
Sueta interpositu vultum subducere solis,
Toto dimidio caelo discessit ab isto.
Stella recens venisse sonat; venisseque Pontus;
Et tellus tremefacta stupet venisse sonatque;
Rumpuntur rupes ipsum venisse sonando,
Venisse ad vitam revocata cadavera, clamant.
Ipse salutiferae doctrinae lumen in orbem
Detulit e caelis, dio gremio Patris haustum,
Omnibus expletum numeris, & partibus, almae
Relligionis opus, quo non praestantius ullum
Condidit, & toti vulgandum tradidit orbi.
Adjungitque notas, queis certo dogmata sancta,
AEterna de mente DEI, fluxisse pateret.
Septem porro notas, totidem ceu firma sigilla,
Doctrinae DEUS impressit, queis constet aperte,

Jllius Auctorem miſſum divinitus orbi,
Hanc ex auguſto gremio ſumpſiſſe Parentis.
Quippe, priusquam mortales ſuus induit artus
Filius; eiusdem, caſta de Virginis alvo,
Absque viri attactu, minima ſine labe pudoris,
Ante nec auditum mundo praedixerat ortum,
Ore Isaiæ, ſexcentis, hocque amplius, annis.
Nec ſolum adventum, ſed quaeque adiuncta minuta
Mirificae Chriſti vitae, mortisque cruentae;
Et miri ad vitam reditus, poſt funus acerbum;
Aſcenſusque triumphalis ſuper aſtra polorum.
Haec vero, multis retro vertentibus annis,
Usque adeo graphice, Vates cecinere futura,
Non, ut agenda putes, illos retuliſſe, ſed acta.
A libertatis porro verſatilis uſu
Quiqui dependent actus, noſtrique, DEIque,
Praedici certo nequeunt a mente creata,
Aſt a Divina aut Divinae interprete, tantum.
Infinita DEI cum quippe ſcientia menti
Inſit, & ex ſeſe veri ſit praeſcius omnis,
Non eget obiecta re, quae determinet ipſum
Ad cognoſcendum: ſed eum determinat ipſa,
Infinita ſuae ſat perſpicientia mentis,
Ad comprendendum, quidquid comprendere fas eſt.
Mens finita autem, quoniam res noſſe, perinde,
Ac non noſſe poteſt; niſi quid determinet illam

Ad cognoſcendam, nequit id cognoſcere per ſe
Hinc, cum non exſtent in ſe, aut in fonte, futura
Libera, non poſſunt noſtras adducere mentes
Ad praenoſcendum; quare ſine Numinis almi
Afflatu, nequeunr praedici libera facta.
Integer eventus proin, atque exactus, eorum,
De Chriſti vita, geſtis, & funere, deque
Prodigiis magnis, quae praedixere futura,
Pluribus ante omnis, afflati Numine Vates,
Eſt nota doctrinae certiſſima caelitus hauſtae.
Altera Divinae nota Relligionis habetur,
Jllius integritas conſtans, probitasque ſtupenda.
Omnia quippe iubet rationi conſona ſanae;
Nilque docet, quod mens, quantumvis cernat acutum,
Et contra pugnet, poſſit convincere noxae.
Relligione etenim Chriſti quid ſanctius usquam?
Haec mala cuncta vetat; bona praecipit omnia, niique
Vel leve permittit, ſpecie, ſormaque decori
Quod caret, ac rectae deflectit ab ordine mentis
Nec ſolum externos ſcelerum vetat, improbat auſus:
Pravum etiam deſiderium condemnat & omnes
Internos animi motus, quicunque repugnant
Virtuti quocunque modo, reprehendit & arcet.
Herculeos actus, atque illuſtriſſima facta,
Ut primum nos efferimus, vel amamus in iſtis,
Culpas eſſe monet, ſimulacraque inania recte

Facto-

Factorum, nullo pretio, mercedeque digna.
Incendit vero verae virtutis amore,
Et ſtudio; traditque modos, quibus omnia poſſint
Crimina vitari; virtutum munia poſſint
Cuncta exerceri; duci ſanctiſſima vita.
Moribus in noſtris quidquid rectique, probique,
Quidquid in heroa virtute illuſtris & alti eſt,
Edocet, ac methodum praeſtandi ſuggerit aptam.
Vivendi quicunque modum, methodumque, viamque,
Quam ſacra Relligio tradit, tenuere, tenentque:
Evaſere viri ſancti, evaſere beati;
Conſtanterque hodie tales evadere pergunt.
Id quod in errorum ſecta non accidit ulla.
Nimirum lex divina, & ſanctiſſima Chriſti
Relligio facit una probos, facit una beatos.
Quodve magis mirere, iſtam quicunque ſecuti
Preſſe vivendi legem: ſit quamlibet illa
Aſpera naturae, quaevis in crimina pronae,
Senſibus adverſans, inimicaque & horrida noſtris
Corporibus, queis delicias, & commoda quaeque,
Blandaque ſubducit paſſim ſolatia ſenſum,
Atque exquiſitis cruciatibus inſuper urit.
Hac tamen auſtera ex vitae ratione, fugaque
Senſilium, quae nos ſuerunt mulcere, bonorum:
Perſuſi mira pacis dulcedine mentem,
Expreſſere animi liquidiſſima gaudia, quanta

Rebus

Rebus ab humanis nemo usque extorſerat unus.
Nil mortale ſapit, dia eſt, dia iſta voluptas.
Diaque Relligio tali dulcedine mulcens!
Talia quae pariunt mortali gaudia cordi.
Sunt citra dubium vitae praecepta beatae.
Tam liquido nullus mundi ſons nectare manat!
Thebaidos nemorum cives, vaſtaeque coloni
Sceteos AEgypti, ſanctorum exercitus ingens!
Vosque Palaeſtini deſerti ſancta caterva!
Relligioſa virum, muliebrisque agmina ſexus
Infinita fere, quos vitae forma beatae
Contulit horribiles in ſylvas, antra, ſpecusque,
In cellas, arctasque domos, in clauſtra, cavernas
In queis, mundano ſtrepitu, procul, atque tumultu,
Caeleſtem plane ſtuduiſtis ducere vitam:
Calcatis opibus, rerum vixiſtis egeni.
In queis, nodoſis laceraſtis tergora loris,
Nudaque ſetoſis ſtimulaſtis pectora villis,
Eſurie atque ſiti cruciaſtis viſcera: totas
Saepius egiſtis noctes vigilando, precando,
Aut ſomnum carpendo brevem, durisque cubando
In ſaxis, placida fraudaſtis membra quiete.
Sexcentisque modis aliis, ſaeviſtis in artus;
Dicite! quandoquidem non eſt comprendere promptum
Talia inexpertiſ; edicite! gaudia quanta,
Plena voluptatis ſenſum fuga, quantaque pompae,
Et

Et fastus omnis mundi contemptio, vestris
Mentibus attulerit, ratioque asperrima vitae;
Quam, legum Christi numeros finxistis ad omnes!
Dicite! mundanis quantum caelestia praestent
Gaudia, queis Sanctos vel in hoc DEUS afficit orbe!
Auricomis tellus tantum non distat ab astris,
Quantum terrenis distat vel stilla supernae
Una voluptatis! quantum pax alma proborum,
Omnia fallacis vincit solatia mundi!
O! Pax! quae superas sensum, quem cuncta caduca
Ingenerare queunt bona mundi, illabere fessis
Pectoribus, cupidis verae, plenaeque quietis!
Caelestem quoque Doctrinam, veramque revincit,
Tot celebratorum sapientia summa virorum:
Seu Christi sacra Relligio quos protulit orbi:
Seu, qui sunt positis, amplexi, erroribus, illam
Quorum hodieque stupet miranda volumina mundus,
Cognitione DEI supera, morumque referta.
Singula, qui propriis momentis dogmata Christi,
Pensantes graviter, repererunt Numine digna.
Ad numeros omnes criticae excussere, nec unquam
Vel minimum poterant falsi convincere punctum.
Quin quanto gravius pensabant singula; tanto
Firmius assensum queisque adiunxere, fidemque
Dogmatibus: tanto mage consentanea vero
Ex animo falsi: quod non contingit in ullis

Errorum factis; ubi, quanto cernit acutum
Quisque magis, tanto prudens notet absona plura;
Et minus absurdis erroribus intus adhaeret;
Hos licet in speciem defendere mordicus ausit.
Dumque aliis istos, ut fit, quandoque propinat:
Voce tenus solum veros ostendere pergit.
Ast argumentum, vix convenientius, ullum
Comperias, quo Relligio Divina probetur
Mentibus infirmis, quam sint miracla stupenda,
Quae Christus virtute sua, virtuteque Christi,
Eius discipuli ediderant, horumque nepotes.
Vox ea sunt, augusta DEI sunt verba loquentis,
Queis nobis arcana DEUS sua sensa revelat.
Aëris impulsu produnt sibi mutua sensa
Mortales: loquitur nobis DEUS ordine rerum
Converso, quem nemo alius convertere possit.
Imperii augustis insignibus, omnia signat,
Ut sit firma fides, mandata, edictaque Reges:
Rex Regum sua prodigiis diplomata munit.
Ista voluntatis sunt illius inclyta signa,
Haec sunt illius monimenta verenda docentis,
Vera sua esse, licet superent mysteria captum.
Namque DEUM, mens sana docet, non posse probare
Dogmata prodigiis, quae non sint consona vero.
Fallere quippe, DEUM, fallique, perinde repugnat.

AEter-

AEternum Pater aeternus ſua ſenſa locutus
Unigenae: poſtquam hunc terrarum miſit in orbem
Prodigiis teſtatur, eum mandata beatae
Vitae, foedato vitiis exponere mundo.
Hebraei populi, Patris praecepta docentem.
Mortua viderunt reddentem corpora vitae;
Millia quinque hominum ſaturantem quinque ſat arctis
Panibus, & geminis non magnis piſcibus, inde
Inſuper implentem duodenos fragmine corbes.
Donantem, viſum coecis, qui luminis uſu
Gaudebant nunquam, ſeu queis fuit iſtud ademptum:
Innumerabilibus, tactu, verboque medentem
Morbis, curantem momento temporis uno
Languores, quos non chironia dextrá levaſſet:
Eripientem homines ipſis e faucibus orci.
Audierant venti, & pontus nova iura ferentem,
Calcandum pedibus ſe praebuit illius aequor,
Mergere non audens Regem reverendo Deumque,
Non audens ſacras plantas violare madore.
Ipſius ad nutum, venti poſuere furorem,
Attonitique DEI verbo, ſtupuere ſilentes.
Ecquis hic eſt? Judaea videns haec ſigna, rogabat:
Cui mare, cui venti, cui mors obtemperat ipſa?
Qui leto raptos, ad priſtina munia vitae
Ad nutum revocat, quam qui ſomno excitet arcto?
O! DEUS! iſte DEUS! non hic e Vatibus unus,

Sive bonis Geniis; his & mortalibus aegris,
Arguit immensum maiorem, tanta potestas.
Nullum ille auxilio vocat ad tam mira patranda:
Ut DEUS alloquitur mare, ventos, morte solutos:
Utque DEO parent mare, venti, morte soluti.
Sed super haec cuncta, & sexcenta patrata stupenda
Prodigia, immani cruciatu, & caede peremptus,
Postque necem, immiti traiectus pectora ferro,
Per tempus, quod discipulis praedixerat ante,
Et quod adumbrarat Jonas ceti abditus alvo,
Morte triumphata dia virtute revixit:
Seque, quadraginta solidis a caede diebus,
Testibus exhibuit locupletibus usque videndum,
Et contrectandum, renuenti credere, Thomae,
Discipulis aliis, ipsum vidisse professis.
Queis demum eductis in clivum, qui imminet urbi,
Quam Solymam vocitant, isthinc, spectantibus iisdem,
Orbe triumphato, caelum subvectus in altum.
Utque pateret, Eum, stellantia regna subisse;
Inde suo, Patrisque sui, (prout ante recepit)
Discipulos moestos Divino flamine replet,
Ritu ignitarum linguarum, auraeque sonantis.
Jlicet ufflati supero divinitus igne,
Diversis promunt linguis sua sensa. Salutis
Magnum consilium mundo partae nece Christi
Gentibus exponunt, ex partibus omnibus orbis,

Tunc

Tunc forte hospitibus Solymorum regia in urbe.
Audit Arabs sermone suo, Parthusque, Syrusque:
Pamphilius, Lyciusque suo stupet ore loquentes:
Phrixque sua patria, patria quoque Thraxque, Cilixque
Voce perorantes, Indusque, Aferque stupescunt.
Attoniti novitate rei, fixique stupore,
Tot linguas didicisse viros mirantur amusos,
Quos Galilaeam unam nuper callere sciebant.
Haec Christum patrasse palam, certissima res est:
Non minus, ac illum vixisse, fuisse Magistrum,
Discipulos, viles homines legisse, rudesque,
Oppida Judaeae peragrasse, urbesque, docendo.
Nam, quibus haec argumentis egisse probatur;
His ipsis constat, miracula dicta patrasse.
Scilicet, innumeris, uno referentibus ore,
Testibus, ipsius vitam, & miracula facta,
Testibus ingenuis, locupletibus, atque oculatis;
Qui nec sunt falsi, nec mundum fallere quibant;
Qui totum late vulgabant ista per orbem;
Dictorumque fidem solida ratione probabant.
Nam, si, quae retuli miracula, falsa fuere;
Quinam, discipuli potuerunt credere falsis,
Tam constante fide, quae vinci caede nequibat?
Qui nam, mira, fidem longe superantia nostram,
Persuadere orbi, si non sunt facta, valebant?
Persuasere tamen, nec eos convincere falsi

Prae-

Praevaluere hoſtes: nam, quae ſcripſere patrata,
Quaeque renarrabant miracula grandia Chriſti;
Non clam, aut in tenebris, media ſed luce, palamque,
nnumeris coram ſpectantibus, acta ſuere:
Quorum, Hebraea fuit gens tota, graviſſima teſtis.
Iſtorumque fidem firmabant, caede cruenta,
Diſcipulique, aliique, ea qui videre patrari,
Edita, ſuppliciis aditis, & morte, profeſſi.
Qua ſpe autem, cujuſve boni dulcedine capti,
Vitam, qua nihil eſt mortali carius ulli,
Sacraſſent, ſi non certo patrata fuiſſent;
Atque invicta forent, partae, argumenta ſalutis
Suppliciis diris, & ſaevo funere Chriſti?
Audiit haec orbis terrarum & vera probando,
Caelitus allatam, munitamque hiſce ſigillis
Numinis agnovit legem, paſſimque recepit.
Nam memorata ſupra miracula grandia, non ſolum
Ipſe novae Legis ſanctiſſimus edidit Auctor.
Iſta poteſtatem, quin & majora patrandi,
Fecit diſcipulis, horumque nepotibus, amplam,
Ut ſua ſignarent ſimili mandata ſigillo,
Conſtaretque, DEUM mundo haec praecepta dediſſe.
Vidit, & attonitus ſtupuit quoque mundus, eoſdem
Mortua vitalem revocantes corpora ad auram:
Terribiles Erebi furias, & monſtra, fugantes:
Pellentes morbos proiecta corporis umbra:

Vi-

Vipereos morſus. viruſque, impune ferentes.
Jura procelloſis dantes ventiſque, marique,
Atque, ſuis precibus, montes e ſede, moventes:
Obſtupuit ſiccis peragrantes flumina plantis:
Dulcis aquae venas e cautibus ire, jubentes:
Multiplicata eſca ſaturantes prodigioſe
Atroci dominante fame. miſerabile vulgus:
Prodigia infinita mari terraque patrantes:
Queis pleni libri, teſtiſque graviſſimus, orbis.
Et quorum bene multa hodie veſtigia cernas.
Multa recenſentur miracula, forte repones,
Ad confirmandos errores edita. Nonne
Scriptor Apolloni vitae, miracla ſtupenda
Facta refert ab eo? Tacituſque, aliique recenſent.
Non pauca a multis mortalibus edita, vera
Qui longe fuerant a Relligione remoti?
Vana ſuperſtitio ſi quae portenta recenſet;
His vel nulla fides, mera ſunt ea ſomnia quippe;
Aut certe vires non exceſſere creatas.
Scripſit Apolloni vitam, centum amplius annis
Poſt eius mortem, Fidei inſenſiſſimus hoſtis,
Atque meris nugis mele commentiſque referſit,
Queis ſuus ille Magus populum deluſerat olim.
Prodigiis Chriſti invidiam conflare laborans.
Attamen iſta vel hinc falſi convincere poſſis,
Diſcipulos quod is impoſtor non liquerit ullos.

Sa-

Sane, intervallum eſt inter miracula magnum,
Quae ſacra Relligio, quavis aetate recenſet,
Quaeve ſuperſtitio, dubia, & vaniſſima jactat.
Relligionis enim noſtrae ſunt plurima, certa,
Grandia, digna DEO, perſonis apta, locisque;
Dogmatibus, quorum cauſa ſunt edita, digna;
Conferto paſſim populo ſpectante, patrata;
Inſenſis Fidei praeſentibus hoſtibus, atque
Auſtera trutina librantibus omnia, Lynceiſque
Oſtentorum adiuncta oculis, ſpeculantibus, illa,
Supra naturae tamen acta, fatentibus, uſum.
In quibus edendis aberat iactantia vana;
Fraus aberat, ſtudiumque levis procul abſuit aurae:
Armamenta aberant, ars & ſcena abſuit omnis.
Effectus cauſamque inter proportio nulla
Adfuit, & vires ſuperabant iſtius, illi.
Eluxit vero probitas ſpectata virorum
Prodigiis celebrum, ſulſitque modeſtia ſumma:
Uniuſque DEI quaeſita eſt gloria, ſenſu
Atque incremento magno pietatis, eorum,
Qui videre ſuis oculis miracla patrari;
Hincque anſam, verum Numen, coepere, colendi.
Denique Relligio ſacra, quae portenta recenſet,
Sunt patrata locis iſtis, his teſtibus, illis
Adiunctis, ut viſa ſemel vulgataque, nullus
Obſcurare queat livor, delereque tempus:

Non

Non criticis argumentis eludere quisquam:
Ni quis forte fidem mortalibus abroget omnem,
Nilque habeat certum, quod non spectaverit ipse.
At, quae Gentiles iactant miracula, vires
Daemonis haud superant, ut paulo diximus ante.
Consona si nostris, aut his maiora, renarrent,
Haud patrata palam, sed clam, locupletibus absque
Testibus, absque DEI cultu, sine numinis eius
Auxilio, sine respectu, studioque salutis
AEternae, vanaque opera, vel sine scelesto,
Sobria quem damnat ratio, patrata crepantur.
Adde, quod is fulgor, quem conciliare studebant
Prodigiis spuriis, libris rumoreque sparso,
Foedi impostores vulgi, errorumque Magistri,
Discussis subito tenebris, evanuit instar
Fumi: nec spectant alio monimenta relicta
Istorum; nisi ut explodat mera somnia, sera
Posteritas, argumentis & testibus orba:
Nec, qui haec tam graviter iactabant edita quondam;
Edita, portento visi stabilisse vel uno.
Contra, prodigiis Christi sua fama, fidesque
Salva hodieque manent, splendor, veneratio salva:
Ostentisque novis nova lux affulget in aevum,
Hoc mage, quod Christus praedixerat ista patranda;
Promissique fidem redimant volventia saecla.

Prodigia in vita vidi nulla; impius inquit,
Non incumbit onus mihi proin, ſuperantia captum
Dogmata credendi; credat, qui viderit iſta.
Maioremne tibi, quae tutemet ipſe videres,
Haec factura fidem cenſes miracula, quam quae
Innumeri teſtes locupletes, atque probati
Mille octingentis prope iam labentibus annis
Absque fere numero, certo videre patrata,
Plurimaque ad leges Criticae excuſſere ſeverae:
Utpote tres ſummas, in queis, ceu cardine, verti
Perpetuae vitae ſortem novere beatam:
Nec minus hac tacti fuerant, quam tangimur ipſi?
Amplius his in prodigiis quid, quaeſo, notaſſes,
Si propriis uſurpaſſes ea ſenſibus ipſe?
Atqui ſi Critices legem reſpexeris hancce:
Fallere mortales, omnes, fallique repugnat;
Plus fidei tribues locupletibus, atque probatis
Teſtibus innumeris, (quos inter magna, neceſſe eſt,
Pars fuerit, qui te, probitate & acumine mentis,
Longe vincebant,) quam his, quae tu videris ipſe.
Quippe magis pronum eſt, ut centum e millibus unus,
Quae nusquam videat, coram, ſe cernere credat,
Et, quae non exſtant, laudatur imagine, rerum,
Umbras pro rebus, ſimulacraque inania ſumens;
Quam, tot ut integris inſtructi ſenſibus, atque
Participes ſanae mentis, vitaeque probatae

Morta-

Mortales, quod erant teſtes, coram quibus usque
Prodigia edita ſunt, falli vel fallere poſſint.
Fallere enim ut poſſent: hominum infinita caterva,
Moribus, ingenio diſtans, aetate, locisque,
Nullo propoſito lucro, mercedeque nulla,
Ad deludendos nos, conſpirarit, oportet:
Inditaque ad verum, divino numine cunctis
Exciderit proprio, propenſio, fine, neceſſe eſt,
Prorſus in innumeris mortalibus irrita facta.
Falli autem ut poſſent: debebat maxima turba,
Senſibus integris, rationeque praedita ſana,
Perſuadere ſibi, certo ſe cernere coram,
Quae nusquam fuerint, nemo ſpectaverit unquam;
Credere debebat, ſenſiſſe, audiſſeque multa,
Quin haec exſtiterint, quae ſunt, exſtare, profeſſi
Senſus, quos teſtes certos DEUS addidit horum,
Quae referunt, rite admoti, recteque valentes.
Porro naturae ſalvo curſu, ordine ſalvo,
Haec duo, quisque dabit, quod facta repugnent:
Ad vitam ut quisquam revocetur morte peremptus;
Ac, ut eum innumeri, redivivum cernere certo, &
Tangere, ſe credant homines, audire loquentem,
Quin videant tamen, & tangant; quin verba loquentis
Excipiant; quin ullá fides ſit ſenſibus illis,
Queis, ipſum ſibi conſtanter ſpectare videntur,
Verſari ſecum, palpare, audire loquentem;

Quin is, quem referunt fenfus, exiftat, agatvè.
Nempe duo haec, aeque cum naturae ordine pugnant.
Sic, qui prodigium negat, adftruat illud, oportet:
Aut hoc inficiando, fidem neget omnibus omnem.
Dignus, ut excordem genus humanum abdicet: utque
Nemo fidem huic tribuat, quam derogat omnibus ipfe.
Ultra haec, innumeris coram quae teftibus acta
Prodigia, ut credat, nova fi miracula pofcat
Impius; ifta pari poterunt quoque pofcere iure,
Quot vivunt homines, & quot nafcentur in aevum.
Pone, quod iftorum ad votum, nutumque, patrentur
Tot nova, quotquot quisque cupit miracula: nonne
Portenti natura perit? nec colligo, quinam
Notio prodigii poffit confiftere falva?
Hoc etenim pofito, fient miracula folum
Ordinis, & curfus conftantis portio quaedam,
Naturaeque habitu, volventur & ordine, cuncta.
Hic iam non video, quanam ratione, repugnet
Dogmatibus fidei quisquam; aut, quae praemia, tali
Decerni par fit fidei? nifi forte quis iftos
Affenfus, quos naturae ftatus exprimit ordo,
Laudibus, affumat temere, mercedeque dignos.
Non erit ergo fides, fed certa fcientia, eorum
Doctrinae capitum, quae legibus iverit iftis
Confirmare DEUS. Nam diffentire, repugnat,
His, animum fanum, quae fentit Numine tefte

Pro-

Proponi, vocemque DEI per ſigna loquentis
Perſpicua, ipſe ſuis manifeſto ſenſibus haurit.
Hac etenim cum voce ſimul, manifeſtius ipſo
Sole, DEUM videt haud falli, vel fallere poſſe.
Prodigiis non inferior nota, ſive character,
Eſt modus & ratio, qua Chriſti ſancta per orbem
Relligio, & doctrina fuit diffuſa. Stupenda
Quippe propagatam ratione ſatebere tute:
Si bene perpendas legem, legisque Magiſtros
Diſcipulumque, cui fuerat lex tradita, mundum.
Diſciplina, gravis ſane fuit, atque ſevera:
Corporis illecebris longe infeſtiſſima cunctis:
Omnibus indicens bellum implacabile noxis:
Jugiter oppugnans cutis omnia commoda: ſuadens
Spernere, quae magni pendit, quae ſuſpicit, orbis,
Quae celebrat, quae magnificat, quae prenſat, adorat;
Et contra, amplecti, quae deteſtatur, & horret:
Divitiis paupertatem praeponere duram:
Contemptumque ſui potiorem ducere honore:
Praeferre opprobrium popularis plauſibus aurae.
Legibus, usque adeo infeſtis, adde ardua captu
Dogmata: vera quidem, ſed mira, abſtruſa, ſed alta,
Ingeniis etiam ſummis impervia prorſus:
Quin queisdam, licet in ſpeciem, contraria veri
Principiis, homini rationis lumine certis.
Haec tamen, usque adeo ſublimia, & ardua, caeli

Do-

Dogmata, & a nostro tantum distantia captu,
Infinita DEI quantum natura remota est:
Haec praecepta, adeo genio adversantia mundi
Deliciis innutriti, fastuque furentis
Atque opibus, tumidi fama sapientiae inanis,
In vitia effusi, & scelerum portenta nefanda;
Persuasit tali, (factu mirabile) mundo,
Parva manus Piscatorum, rudiumque virorum:
Non opibus, non elogio, non arte, dolo-ve,
Non armis, aut mortalis prudentiae honoro,
Nullis humanis fulgoribus inclyta: cunctis
Auxiliis & praesidiis mortalibus orba.
Nec rudibus tantum populis persuasit, at ipsis
Regibus, atque Sophis, ipsis summatibus orbis.
Quodque magis stupeas; turbam licet hancce pusillam
Abiectorum hominum, populis nova iura ferentem,
Omnibus exsertis invaserit Orbis, & orcus
Viribus, armorum genere oppugnaverit omni,
Supplicia intentans, ferroque, ignique luenda:
Nec tamen intrepidos potuit terrere Magistros,
Ant fractos, a consilio revocare docendi.
Non cessere malis, sed contra audentius ibant,
Impavidi Heròés, per mille pericla ruentes:
Nec poterant, studiis illorum obsistere, duri
Eumenidum postes, qua pollent arte doloque.

Et

Et bene cessit opus; superata superbia mundi:
Quaeque altas adeo radices egerat usque,
Victa superstitio; simulacra eversa deorum:
Expugnata palam vitiorum monstra nefanda:
Fusa fides late: populi, Regesque subacti
Imperio Christi: Crucis almae erecta trophaea
Urbibus & vicis, Regum in penetralibus ipsis:
Ex scelerum stabulo, mundus conversus in hortum,
Parte sui magna, probitatis odore fragrantem.
Atque propagatae Fidei modus iste stupendus,
Iste reformati cursus rapidissimus orbis,
Insuperabilibus, naturae totius usu,
Aggeribus subito ruptis, virtute pusillae,
Contemptaeque manus, bis sex de plebe virorum,
Evincit certo miracula grandia facta,
E queis, tanta sequi potuit mutatio morum.
Quae, si praefracte tamen inficiere patrata;
Omnibus his maius debes concedere. Namque,
Si sine prodigiis, mundi conversio facta est;
Haec metamorphosis superat miracula cuncta.
Quippe fuit, mentem sponte abiecisse, necesse,
Innumeros homines, &, sana cum cum ratione,
Insanisse viros, in partibus omnibus orbis,
Ingenio summos, qui sunt, adeo ardua captu
Amplexi, sine prodigiis mysteria; quique
Suppliciis exantlatis, & sanguine fuso,

Morte-

Morteque firmabant impervia dogmata menti;
Qui nulla ſpe fortunae, famaeque, lucrique,
Ulliusque boni mundi, fluxi atque caduci,
Omnibus aeternum iuſſis quinimo valere
Jllecebris, queis tanta ſubeſt vis corda trahendi:
Senſibus adverſas leges, inimicaque carni
Juſſa faceſſebant; tantum virtutis odorem
Spargentes in vita omni, quantum ante mephitim
Afflabant ſcelerum; contra pugnante caterva
Mille animi impetuum, queis mens obnoxia noſtra,
In bona fluxa ruit, fruſtra prohibere volente
Conſilio ſanae rationis, amoreque honeſti,
Ni maior vis intus agat, relevetque ruentem.
Jam tanta ingenii humani mutatio, morumque
Innumeris facta in populis per ſaecula, nonne,
Si nulla cauſa, temere caſuque peracta eſt,
Nobilitate ſua, tantum miracula vincit,
Quantum res alias hominis praeſtantia vincit?
Quinque his, purpureum ſextum ſuperadde ſigillum,
Confirmans legem Chriſti divinitus hauſtam:
Vitam Athletarum, pro Relligione tuenda,
Proiectam, ſexcenta inter tormenta, crucesque,
Quae furor, & rabies, furiis agitantibus orci,
Ad magis augendos, poterant reperire dolores,
Quos Chriſti invictis illatum teſtibus ibant,
Hac ratione fidem ſi forte infringere poſſent.

Et quis inire queat numerum, pro lege ſacrata,
Corde peremptorum? quiſnam tot millia, ſexus
Utriuſque hominum, tot conditionis, & omnis
AEtatis, vitas pro Relligione profuſas?
Quos inter pueri, teneraeque fuere puellae.
Et feſſi, vetuli, vetulaeque ſenilibus annis,
Infanteſque ipſi, turba imbecillima ſigna,
Commoda turba malis, vitam praeponere morti
Nata, voluptatem diro praeferre dolori:
Haec, infirma tamen, tamen haecce tenerrima turba,
Carnifices perſaepe truces, tormenta ferendo,
Laſſabat, populo circumſpectante, ſtupore,
Attonito, roburque palam caeleſte, canente.
Haec infirma tamen, tamen iſta tenerrima turba,
Crimine turba vacans, fidei rea nomine tantum,
Supplicia & poenas, acuit quas tartarus ipſe,
Pertulit erectis animis, & robore celſo.
Inque DEUM tanta ſpe, tanto Numinis alti,
Carnificumque ipſam dire cruciantium, amore;
Ut circumfuſo populo conſtaret aperte,
Divinam legem, pro qua tormenta ferebant,
Robore divino, dia virtute probari;
Eſſeque caeleſtem, quem teſtabantur, amorem,
Mortiferas inter plagas, & vulnera ſaeva:
Hincque, amplectendi ſanctiſſima dogmata Chriſti,
Innumeri acciperent anſam: letoque frequentes

Carnifices etiam, pro Relligione, cadebant,
Jlluſtres facti teſtes ex hoſtibus ipſis.
Non huc illiciis ſane mortalibus acti,
Robore ſed, ſupra quod diximus, atque ſtupendis
Prodigiis, queis naturae ſolito ordine verſo,
Parcere Martyribus non raro elementa videbant,
Contraque armari tortores, atque tyrannos,
Terrificiſque in ſe poenis advertere caelum,
Et necis artifices paſſim propria arte perire
Extremum, vera pro Relligione, ſigillum
Stat ſecura ſalus, vicibuſque obnoxia nullis
Jllius, inter tot fluctus, conſtantia. Quamvis
Mille octingentos prope ſit vexata per annos,
Horrificiſque modis ſit ab hoſtibus undique preſſa,
Non ſolum externis, verum & civilibus armis:
Inconcuſſa tamen ſtetit uſque, & ſtabit in aevum,
Nec ſibi paſſa fuit mutari dogma vel unum,
Sic ſunt res hominū, ut nullo impellente labaſcant,
Impete vero ruant, inimicis viribus ictae.
Novimus Aſſyrium, Perſarum novimus amplum,
Graecumque Imperium triſti cecidiſſe ruina;
Romanum pariter, quo non florentius ullum,
Quod tumidos faſces, toto circumtulit orbe,
Cui ſubvertendo par nulla potentia mundi
Pene videbatur, claudi modo finibus arctis,
Vixque hodie veteris ſpeciem praeferre tumoris.

At

At vero Chriſti Regnum florere videmus.
Latius inque dies fines proferre, per omnes
Terrarum tractus, quaqua patet ambitus orbis.
Conſiliis hoc imperium mortalibus, ortum
Non fert acceptum, non incrementa, ſtatumque
Tam ſolidum & firmum, tam certum, tamque tenacem,
Quem tot bella foris commiſſa cruenta, domique,
Quem tot inauditae turbae variare nequibant.
Orbe triumphato terrarum Roma ſuperba:
Roma furens armis, ſtudiis aſperrima belli:
Roma ad ſtultitiam cultrix ſtudioſa Deorum,
Continuis annis, conata extinguere gentem
Chriſticolam ferro, quo iam vaſtaverat orbem,
Totque tulit lauros, poſuit tot ſigna triumphi,
Tot domuit Reges, tot fana evertit & aras,
Totque Deos victos victrix invexit in urbem:
Nec tamen exſertis mundi victricibus armis,
Invictum Chriſti poterat ſubvertere regnum.
Illud inaudita pergunt abolere Nerones
Saevitia, ſimili delere tyrannide pergunt
Maximni rabidi, Traianique, atque Severi,
Barbarie immanes Decii, diri Aureliani,
Et Diocles, quae monſtra Tyrannidis? atque Galeri
Et Licini atroces, & foedus Apoſtata Caeſar,
Abſumunt omnes vires erebique, ſolique,
Chriſtiadum ad nomen delendum prorſus in orbe.

Nil tamen efficiunt. Chriſti grex creſcit, in ipſa
Romulidum, mirum! victrix crux figitur arce.
Et quam vix armis potuit pervincere mundus,
Pace triumphando Crux alma ſubegit inermis!
Cladibus acceptis, & multo ſanguine fuſo,
Imperia intereunt, aut certe ſtrage labaſcunt.
Cladibus acceptis, fuſis, res mira! cruoris
Fluminibus iuſtis, crevit Reſpublica Chriſti.
Non ſecus, ac pingui frugum quo ſemina plura
Committuntur humo, ſeges hoc mage ſurgit opima,
Luxuriant agri, dirumpunt horrea meſſes:
Sanguine ſic Athletarum, ceu ſemine ſparſo
Chriſtiadum totum gens multiplicata per orbem.
Imperii Conſtantinus Dux inclytus ipſe,
Gentiles fieri nunquam quod poſſe ferebant,
Chriſticolaeque ipſi vix ſpem ſupereſſe putabant,
Dat nomen Chriſto, & tanta pietate fovere
Chriſtiadas pergit, quanta feritate trecentis
Annis, per ſummum ſcelus afflixere tyranni.
Parta pace foris, poſt tot fera bella, trecentos
Perpetuata annos, civile atrocius intus
Exarſit bellum: turbae fax teter Arius,
Acris hic & rabidus furvi emiſſarius orci,
Niliacis ſignum belli ut primum extulit oris;
Totus in exitium mox Relligionis avitae
Acriter incubuit, velut icto foedere, mundus.

Jli-

Jlicet adverſus fortiſſima pectora, Chriſtum
Eſſe DEUM, Patri aequalem pugnantia, cunctis
Viribus, atque dolis, toto pugnatur in orbe.
Pugnant Pontifices, quos peſte afflavit Arius,
Fraudibus, ingenio, pietatis imagine falſae.
Pugnant inſidiis, promiſſis, atque favore,
Congeſtis multis fallacibus argumentis,
Ex ipſis libris divinis arte doloſa.
Imperii Moderatores, Regeſque, Duceſque,
Nomina magna Virum, belloque, opibuſque potentes,
Huc ſua convertunt, neglectis hoſtibus, arma,
Hucque facultates vertunt, hauſtoque veneno,
Atletis Chriſti, fidoque ipſius ovili,
Ceu tigrides, rabidique lupi, ſaevique leones,
Artibus atque dolis, crudeliter omnibus inſtant:
Suppliciis & carceribus, terrore, miniſque;
Caedibus, exiliis, praedis, ſpoliiſque bonorum:
Eſurie, atque ſiti, certa ſpe grandis honoris.
Vix fuit a nata, par, Religione procella,
Quae magis extremum huic poterat paritura videri
Exitium, ſupra ſolidam niſi tuta ſtetiſſet,
Obfirmata petram, minime ſubiecta ruinae.
Nam veluti, ſiquis tectis arentibus, urbis
Magnificae, iniiciat flammas; Vulcania peſtis
Corripit auguſtam, momento temporis, urbem.
Ardent tigna, trabes, flammeſcunt arida paſſim

Pa-

Pabula Vulcani: vorat igneus omnia torrens.
Quae flammam excipiunt, quaeque exardescere nata;
In cineres abeunt: volitant per inane favillae,
Caelumque eripiunt tetra caligine fumi,
Nec, quo se vertant homines, decernere possunt:
Et male dum vitant, adeunt incendia multi.
Sic, ubi corripuit mundum malus ignis Arii,
Involvit late, foeda caligine, gentes,
Consumpsit paleas, sarmenta absumpsit ovilis,
Absumpsitque etiam, cum ipsis Pastoribus, agnos
Non paucos, dum non sat caute incendia vitant.
Non tamen ex toto Christi depastus ovile est,
Hoc delere licet conati funditus hostes.
Exiit ex flammis illustrior aureus istis
Grex Christi, lucemque novam diffudit in orbem.
Quid memorem gemini tristissima tempora belli
Civilis pariter, quod provexere per orbem,
Nestor & Eutyches, duo turbae monstra facesque,
Haeresis auctores duplicis, stygis ambo ministri?
Qua non, hi rabie, qua non, ferltate petebant
Invictum Imperium Christi? stetit attamen illud;
Et stabit, dum praecipiti vertigine caelum
Volvetur, peragetque statos ex hoste triumphos
Perpetuo. Frustra hoc itidem civilibus armis
Aggrederis Sergi, Cyro, Pyrrhoque, vocatis
Auxilio! vincet vos unus Maximus, Abbas.

Ecthe-

Ecthesis Heracli, augusto munita sigillo,
Constantisque *Typus*, fraudes, furor, arma, minaeque
Non tollent apicem de relligione vel unum.
Ut geminam in Christo naturam Ecclesia noscit;
Sic duplices in eo semper venerabitur actus.
Tu quoque, barbarie crudelior omnibus unus,
Latius effusae, Mahomed, dux improbe, sectae,
Corporis illecebris, praedis, spoliisque coactae,
Bellua, Christiadum nunquam satianda cruore,
Tot domitis regnis, palmisque superbe relatis,
Imperio Christi, flammis ferroque minare
Perniciem! iacta interitum! minitare ruinam!
Non tamen evertes Christi insuperabile Regnum.
I, licet, impleto terrarum caedibus orbem!
Fundito Christicolum vel flumina iusta cruoris!
Non tolles legem Divino robore firmam.
Te, DEUS utetur plectenda ad crimina, queis se
Christiadae obstringunt contra sanctissima iura:
Te, sanctam tamen haud sinet hanc disperdere gentem.
Saevisti, plus barbarica feritate, ducentos
Supra mille annos! viget attamen, atque vigebit
Relligio, laurosque omni circumferet orbe:
Quot bellis vexanda, tot exornanda triumphis.
Eriget, ignotis tibi regnis, sacra trophaea,
Quo, tumido via nulla tuo ferro, usque patebat:
In medioque tui Imperii, bene multa, locabit.

Im-

Imperio insignes dicti cognomine Isauri
Sed magis apposite, dira feritate leones!
Copronymi foedi, Divum in simulacra, feroces!
Frustra deiicitis statuas, venerandaque signa
Caelicolum! Coluit Divos Ecclesia semper,
Et colet usque; nec hunc ipsi vis auferet ulla
Ritum: stat solida in petra firmatus & iste.
Pro centum statuis deiectis, millia centum
Surgent: prout uno pro Martyre, millia surgunt
Christiadum: in veram historiam Cadmea migrabit
Fabula: fietis sed enim vos fabula vulgi!
Et facti sane. Nam post immania dictu
Crimina, queis ibant simulacra evertere Divum,
AEternum periere; sibi, populoque, DEOque
Invisi, nunquam delenda labe, notati.
Sacrarum vero firmatus imaginum, & auctus
Concilio pleno cultus, multisque stupendis
Prodigiis etiam ratus, efflorescit in aevum.
Quis nescit tragicos, quos excivere tumultus,
Tristis in Europa, duo tetra incendia, belli,
Calvinus, geminae pestes, turpisque Lutherus?
Heu! quibus insidiis! quibus isti assultibus, ibant
Nequicquam eversum sacra Relligionis avitae!
Quas non ediderant strages, Acheronta moventes,
Si quâ Romanos ritus abolere valerent!
Sensit & ingemuit crebras Germania clades:
San-

Sanguinis immaduit profusis Gallia rivis:
Puniceis tumuere undis Mosa, Scaldis & Albis:
Nec modico rubuit Tamesis quoque lympha cruore,
Attamen in nullo iacturam dogmate, passa est
Relligio Romana, licet bene multa, nefandis
Consiliis, studiisque, armisque abolenda canebant
Jurati illius, sociatis viribus, hostes.
Mirifice quinimo per haec dispendia crevit,
Namque novum propaginibus subseverat orbem
Vinea tunc Romana suis; fecisse ruinam
Grandem, dum fuerat visa hic, vastante Luthero,
Et Calvino, ipsam lacerante ferociter armis.

Emersit nostro quoque tempore, Secta Sophorum,
Si superis placet! (hoc isti se nomine signant)
Plus quam Tartarea, quae, calliditate nocendi,
Omnia se fidens convellere dogmata posse,
Exerit ingenii vires, quas suggerit orcus:
Si quâ, sancta queat dissolvere dogmata Christi;
Implevitque libris orbem impietate refertis.
Nil tamen effecit: lucem addidit imo, tenebris,
Quas malesana studet nostris offundere sacris.
Si quis enim attente libros evolvere pergat,
Dogmata queis hodie Romana Ecclesia firmat,
Seu quibus exagitat, premit, atque redarguit hostes;
Ille, vel invitus, nunquam anterioribus annis,

Rem Christi meliore in luce fuisse locatam,
Quam sit his in turbis stabilita, fatebitur ultro.
Sic nempe ex flammis aurum fulgentius exit.
Sic vento impulsus flagrat, & nitet amplius ignis,
Vinea sic detonsa parit fecundius uvas.
Lunaque vividius resplendet lumine solis,
Proxima dum Phoebo, lucem amisisse videtur.
Pressaque, liberius rosa sic effundit odorem.
Suavius igne cremata fragrant, ita aromata demum,
Sed labor immensus foret, ire per omnia bella,
Quae Sanctum Regnum, veneranda Ecclesia Christi,
A primis annis hucusque, domive, forisve
Gesserat, atque reportatos numerare triumphos.
O quibus, haec Petri ratis, est iactata procellis!
O quibus, hanc nixi submergere, viribus hostes!
Emersit tamen his ex fluctibus integra semper.
Fluctuat illa quidem, crebris agitata procellis,
Naufragii secura tamen, non mergitur unquam,
Quippe DEUS fabricatus eam, DEUS ipse gubernat.
Deprimit imo rates, ipsam quae mergere tentant:
Aut ferit infestas non vano fulminis ictu.
Tot iam disiecit classes, mersitque profundo:
Monstra tot haereseon domuit, misitque sub orcum.
Jam pleraeque iacent aeterna clade sepultae:
Tristia multarum tantummodo busta supersunt:
Vix aliae, vix relliquias, vix nomina servant:

Quae

Quae ſervant; Prothei veri, nunquam ſibi conſtant:
Errores variant, tantum non qualibet hora.
At Sacra Relligio mutari neſcia, nulli
Subiecta errori, Romana Eccleſia qualem,
Sub Paſtore uno, Petrique Nepote, tuetur,
Dogmata, quae primi legis docuere Magiſtri,
Haec hodieque docet, ſibi ſola ſimillima ſemper;
Stirpis Apoſtolicae genuinum germen, & haeres,
Solaque terrarum totum diffuſa per orbem,
Sic tamen, ut mire corpus coaleſcat in unum:
Una unum confeſſa DEUM, ſeu dogmata ſpectes,
Seu Caput illius, ſeu Sacramenta, quibus ſe
A ſectis aliis diſcriminat omnibus, una.
Una Fides, unum Baptiſma, Eccleſiaque una.
In qua, ſi tecum reputes, aetate locisque
Innumeros homines, a ſeſe immane remotos,
Comperies eadem, quae in praeſens dogmata credit,
Credita ſemper, & a cunctis, & ubique locorum.
His Romana notis Eccleſia ſe, probat, unam
Relligionis opes ſartas tectasque, tenere,
Filius aeterni Patris quas credidit orbi,
Se, probat his, Sponſam Chriſti, patiturque probari.
Hasce notas aliis in ſectis iure requirens,
Nec tamen inveniens, omnes condemnat, ad unam,
Reiicit, & merito, ut ſpurias falſasque, refellit;
Utpote legitimis tabulis, & teſtibus orbas.

Est proin Relligio: Divina est: unaque vera:
Quam tenet, ac tenuit Romana Ecclesia salvam
Quae facit una probos homines, facit una beatos.
Ergo qui dubitas, quae sit Divina, tot inter
Relligio sectas, haec argumenta revolve,
Momentisque suis rem, qua mage seria, nulla,
Pondera, & ad iustas rationis dirige leges,
Discute, quae fas est animo comprendere: crede,
Quae longe superant captum rationis egenae.
Argumenta, quibus, Christo DEUS esse locutus,
Perque ipsum mundo praecepta dedisse, probatur,
Quo magis excuties, magis hoc invicta videbis.
Quo semel obtento, verissima dogmata tute
Concludes certo, quamvis mysteria captum
Exsuperent mentis. Ratio cum sobria, & ipsa
Notio recta DEI, manifesto quemque revincant:
Quae certo loquitur DEUS, his nil verius esse:
Jlla licet nemo possit comprendere mente.
Falsa, DEUM non posse loqui, mens perspicit omnis:
Posse loqui captum superantia, percipit omnis.
Cum proin Romanae Fidei mysteria, nobis
Significasse DEUM, res sit liquidissima: quod nos
Septem incorruptis firmavimus usque sigillis;
Quilibet assensum firmum his adiungat, oportet,
Quantumvis hebeti, minime sint pervia, menti.
Nam, si naturae vix ulla arcana valemus,

Quin,

Quin, vix nostra etiam, plane comprendere, sensa,
Mirandumque animi, proprio cum corpore, nexum:
Quanto, quaeso, minus, penitus pernosse, licebit
Abdita Divinae Mentis mysteria? tantum
Ingenii nostri captum vincentia, quantum
Infinita DEI vincit praestantia vires,
Atque facultates quibus est mens praedita nostra.
Sane, argumentum potis est opponere nullum
Scepticus, adversus sanctissima dogmata, praeter
Debilitatem animi, cuius vitio nequit alta
Divinae complecti animo mysteria mentis;
AEternis, male delassans, immane minorem
Consiliis animum stolidus, pectusque fatigans.
Nec tamen hinc unquam pugnantia colliget ulla.
Ut, namque ex istis contradicentia rebus,
Quas Sacra Relligio tradit, concludere posset
Impius, AEternae penitus pernoscere Mentis
Naturam, dotesque omnes deberet, & omnes
Perlustrare animo latebras, sensa omnia: verbo,
Tanto insinitum pernoscere lumine Numen,
Quanto, quot, bis bina, aut, quot sint, bis tria, novit.
Hoc vero absurdis absurdius omnibus est his,
Quae, se hodiernorum secta effecisse, Sophorum
Venditat adversus Sanctissima Dogmata Christi.

VIR-

VIRTUS.

Una probos homines virtus facit, unaque Sanctos:
Una immortali celebrari nomine dignos.
Ad summum dux una bonum, vitamque beatam.
Ergo notas, & signa probe nosse ejus oportet:
Ne miser ipsius ludaris imagine vana:
Nec pro re speciem captes probitatis inanem.
Est virtus; habitus multo generatus ab usu;
Inclinans hominis mentem; constanter ut isthaec
Et facile, assvetos erumpere pergat in actus;
In quibus effulget ratio justi, atque decori;
Veraque nobilitas operis, resplendet honestas.
Unum hoc quippe bonum est; finis virtutibus aptus.
Concilians operi pondus, pretiumque, decusque.
Caetera, virtutis sunt dissentanea fini.
Quam proin ne vitient, cura solerte cavendum.

Doti-

Dotibus eximiis virtus ſincera coruſcat.
Nec tamen has cunctis eſt internoſcere promptum.
Paſſim etenim vitium ſe ſe virtutis amictu
Induit, & mirum decus ementitur honeſti,
Atque inconſultos oculos hac faſcinat arte.
Si tamen ad radios, quibus emicat aurea virtus,
Advertas animum; diſcrimen grande notabis:
A ſpurio quantum virtutis lumine, verus
Germanae diſtet ſplendor probitatis, honorque.
Aut cunctis virtus perfecta eſt partibus: aut eſt
Nondum expleta ſuis numeris; rudis & velut infans.
Aut demum ſpecies tantum virtutis, & umbra.
Indiciis tibi quaeque ſuis, ſe prodet aperte.
Apparere cupit tantum, tantumque videri,
Et ſplendere ſtudet ſimulacrum & inanis imago,
Larvaque virtutis, ne tantillum eſſe laborat;
Quippe ſalutari probitatis fine relicto;
Vela facit, famae quo ſe levis incitat aura.
Tota in eo; ut niteat: tota ut videatur, ametur:
Laudibus ornetur, vulgi volitetque per ora.
Reque licet penitus nil ſit; tamen eſſe putetur,
Nec ſecus atque foret numeris perfecta, colatur.
Sin minus his potiatur: in hoc; labor illius omnis;
Ut ſpecie officii, quam plurima commoda captet.
Quodſi operam perdi videat, pretiumque perire;
Si nullo plauſu; nullo celebretur honore;

Nulla.

Nullaque proveniant e turpi, commoda, quaestu;
Cessat ab officiis, & munia sicca relinquit;
Perque nefas quaeritur; quae sunt sibi jure negata.
Exuit inde vafram, qua se insinuare studebat
Larvam: fitque palam, vitii quam turpe latebat
Sub specie, & vana virtutis imagine monstrum.
Esse quidem; minus esse tamen: splendere, videri;
Plus aequo tendit virtus rudis, atque tenella:
Quo minor; hoc major, vehementius ardet haberi,
Seque probare studet cunctis, gaudetque probari.
Quodsi forte minus pateatve, minusve probetur;
Indignatur iis, qui non mirantur, amantve:
Nonque probant se se: nullo dignantur honore.
Si demum neglecta diu: si in gloria perstet:
Nullaque langventem popularis sublevet aura;
Moeret inops, aut torpet iners; vel frigida cessat.
Et cadit imbellis, duris exercita rebus,
Satque levi adversae flatu prosternitur aurae.
Ad summum virtus, perducta; laborat id unum:
Omnibus ut numeris expletaque partibus ut sit.
Nec tamen expletam penitus, se judicet unquam.
Sed quo major adest; hoc se putat esse minorem.
Haud ea, praeclare, quae gessit, spectat; agenda
Cogitat, ad leges probitatis ut exigat omnes.
Semper ut occipiens accingitur ad nova bella:
Adque novas pugnas, ad atrocia praelia; gnara
Morta-

Mortalem vitam campum certaminis esse:
Militiae cursum; non pacis, nonve triumphi.
Non cupit agnosci: desiderat imo latere,
Digna licet plausu, quamvis dignissima laude:
Re tamen in factis; non fama, aut laude movetur.
Nec se magnificis verbis, at comprobat usu.
Uno teste DEO plene contenta, sibique
Conscia, non captat plausus; timet imo fugitque,
Seque tegit latebris; ut sit secura pericli.
Nec latuisse sat est: credi vult prorsus abesse,
Tutius ut lateat: contemni gaudet, avetque.
Sed juvat eximias ex ordine promere dotes
Virtutis solidae (bonus adjuvat ordo Magistros
Et liquidam lucem rebus, quas discimus adsert)
Est rationali naturae consona virtus:
Hinc in ea (quod ceu rem certam assumpsimus ante)
Et modus & ratio, splendescat oportet honesti.
Divelli siquidem nequit a virtute decorum:
Hoc decus, hoc operi pretium definit & adsert.
Si ratio in facto: studium si desit honesti;
Non virtutis opus; verum simulatio vana est.
Nobilitas animi, est virtus: virtutis honestas,
Ipsa medulla velut, minime tamen esse putanda est,
Ipseque virtutis flos; qualis qualis honestas.
Ut numeris perfecta suis, micet inclita virtus;
Praeter confusam speciem generalis honesti;

Omnis honestatis fontem respectet, oportet.
Ex quo nempe fluit pretium omne, omnisque venustas;
Vita, vigor, splendor, decus & perfectio rerum.
Ingenti attonitus gestorum mole tuorum
Quantumvis strepat, & totus circumsonet orbis,
Prodigiisque licet summis, tua facta coaequet:
Haec tamen acta DEI si non sunt unius ergo:
Aut omni fine respectu sunt Numinis acta:
Sunt ludus, nugaeque merae, mera somnia, & umbrae.
Princeps virtutis dos est; ut amore calescat
Numinis: hac flamma crescat, foveatur, alatur:
Hac maturescat, vitiumque hac decoquat omne.
Ex hoc igne trahat jubar admirabile; fundat.
Virtutis solidae nempe est divinus hic ignis:
Semen, vita, parens, anima, & perfectio tota.
Igne hoc cocta diu postquam est; penitusque recocta;
Nil mortale sapit virtus perfecta, cupitve:
Nilque suum proprium, licet immortale: sed unum
Numinis unius suspirat, anhelat amorem.
Hoc calet, hoc fervet, viget: hoc incenditur aestu:
Hoc opus omne suum succendit & expolit igne.
Quidquid agit, sentit, loquitur, vult: quidquid omittit
Huc sensu, nutu, motu huc collineat omni;
Ut super omne bonum, princeps fons ipse bonorum
Seclusa cuncta mercede colatur, ametur.
Una placere DEO cura est illi, labor unus:

Hoc

Hoc unum ſtudium: votorum haec ſumma, ſcopusque.
Non quod amare Deum citra pretium omne, lucrumque;
Grande bonum atque decus ſit, & illuſtriſſima virtus:
Sed tali, & majore, DEUS, quia dignus amore.
Nec placuiſſe DEO gaudet; ſibi quod bona ſit res:
Quod ſua proſperitas: ſua ſors ſit ſumma; placere:
Aſt quia cara DEO res: debita, grata, placensque:
Ut pia mens pretium cultus non expetat ullum:
Sed ſit pro pretio, mercedeque; Numinis una
Infinitorum decorum infinitio, digna
Omnibus officiis, omni digniſſima cultu.
Digna infinito tanta excellentia amore,
Digna, ſuâ causâ; lucro, pretioque remoto.
Ipſa quoque aeternae liquidiſſima gaudia vitae;
Quae DEUS in coelo virtuti deſtinat altae;
Hac mage parte cupit; quod in his, divina voluntas
Effulget, campusque aperit ſe immenſus amandi
Candidius ſine nube DEUM citra omne periclum:
Quam ſua quod fonte hoc; fluat infinita voluptas.
Sic; ab amore ſui, ſumi & fuliginis ortae;
Nil habet admixtum conſumatiſſima virtus:
Nil alienum ab amore DEI: mortale ſit; aut ſit
Immortale licet; quod non DEUS ipſe ſit unus.
Quam timor aeternae poenae urget, quamve beatae
Vitae ſpes agit, atque animat; plebeia rudisque:
Digna DEO non eſt: non eſt heroica virtus.

Non quaſi res mala ſit; ſpe, ſive timore moveri:
Ad pia nonnunquam virtutum munia: res eſt;
Eſt bona res, fateor, ſed virtus maxima non eſt.
Utpote quam lucri ratio perpellit, agit; quod
Optima ſit ſua ſors: non quod Deus optimus in ſe,
Semotoque lucro parte infinitus ab omni:
Ac proin immenſo, propter ſe, dignus amore,
Jam quid amare aliquem; eſt: niſi ſummis velle beatum
Eſſe bonis; quamvis in te nihil inde redundet?
Nil feciſſe ſuo lucro; ſi dixero quemquam:
Communis feciſſe boni cauſa omnia omnia; nonne
Verior haec erit, & potior laudatio; quam ſi
Quemquam alium feciſſe ſua cauſa omnia dicam?
Ac tanto potior; quanto unum vincere tota
Privatum potis eſt Reſpublica maxima civem.
Aſt egiſſe tibi ſi quemquam oſtendero cauſa
Numinis unius; vivens quod is egerat unquam:
Nonne hoc, hujus erit maior laus, laude prioris;
Quo mage res omnes mens praeſtantiſſima vincit;
Quam ſuperet civem, Reſpublica quaelibet unum.
Nimirum tanto virtus illuſtrior exſtat,
Quanto majoris bonitatis amore patrata eſt.
Alta voluptatem virtus non expetit ullam.
Nec ſolum nullam captat, ſed praeterit omnem.
Haud ſatagens, nec avara lucri: non quaeritat ulla
Commoda. Solicite curat quin imo cavetque.

Nequa

Nequa ſuum vitiet decus admirabile peſtis,
Pro DEI amore lubens vitam profundere malit:
Ut vero magnum pariat ſibi nomen in orbe,
Seque voluptatis fluxae dulcedine paſcat:
Ne digitum curvare velit, neu mittere vocem,
Gratuita usque adeo eſt; non mercenaria virtus.
Fallax officii ſpecies, & inanis imago eſt;
Ad quod praeſtandum mentem movet una voluptas
Aut ulla utilitas, aut lucrum, vel ſuga poenae:
Haec animo intendens, quantumvis ſplendida praeſtet
Officia in ſpeciem; virtutis adulterat aurum.
Omnibus ut numeris probitas perſecta ſit: ut ſit;
Digna DEO, nulla mercede colatur, oportet.
Hoc genus immenſae Bonitati eſt debita virtus;
Quae nos immeritos nullo lucro amavit, amatque.
Denique: ut a puncto ad punctum duci unica tantum
Linea recta poteſt: curvas producere contra
Fas infinitas: ſic una breviſſima solum,
Eſt via; ſupremum quae nos ſine flexibus ullis
Virtutum ad columen tuto perducere poſſit:
Nempe relegatis rationibus omnibus; una,
Nuda DEO, cunctis in rebus, cura placendi
Hoc iter eſt: haec eſt rectiſſima ſemita: de qua
Innumeri nos errores deducere pergunt:
Divinae quoties, nudo bonitatis amore
Contenti minimae; nos noſtraque quaerimus ultra.
Praete-

Praeterea virtus, ut fit submissa, necesse est:
Sive humilis: verum nequaquam abjecta (quod olim
Scriptores veteres hac voce notare solebant:)
Ast humilis; quae despiciat; quod suspicit, ardet:
Quod prensat, quod concelebrat, quod deperit orbis:
Atque quod aeternum non est; nil autumet esse:
Contemptuque sui similis: quae nec sua, ne se
Magnificet: magni fieri non expetat: ast se
Quo magis excellit; magis infra deprimat omnes.
Non secus atque cedrus, quo celsior exit in auras;
Hoc mage telluri radices inserit imas.
Aut augusta domus, quo se mage tollit in altum
Altius in terra sua fundamenta recondit.
Ut gravius quodque est; spatium constantius imum
Corpus amat: levius, quoquo rapit impetus aurae.
Ut mage quaeque suis onerata est foetibus arbos;
Amplius inclinat ramos, tenditque deorsum:
Optatis vacuos pomis; extollit in auras.
Sic; quanto meritis virtus potioribus aucta est,
Tanto se cunctis submittere pronius ardet.

Hoc maturam inter virtutem, interque tenellam,
Ac fictam distat (prout observavimus ante:)
Quod tenera; esse parum: multum apparere laboret:
Nil penitus ficta esse; studet splendescere tantum.
Esse cupit, solumque studet matura videri:
Non avet; imo cavet: studet ut videatur abesse.

Non

Non ignara ſuum ſiquidem pretium omne, decusque;
Deberi ſuperis: ſuperis ex aſſe refundit.
Quidquid habet meriti: quidquid ſplendoris, honoris:
Unde fluunt, huc cuncta refert fontemque coronat.
Neve ream furti faciat ſe; neve rapinae:
Uſurpando ſibi, quae gloria Numinis una eſt;
Nativa nihili ſeſe demergit in umbra.
Haec domus, haec ſedes illi: haec habitatio fixa.
Iſthic illa ſui, ſe cognitione DEIque
Diſtinet aſſidue, perfuſaque lumine mentem:
Hinc immenſorum decorum ſplendore ſtupeſcens;
Quem DEUS effundit; ſuccenſa liqueſcit amore:
Inde ſuae ſortis rigido perculſa pavore;
In nihili ſeſe demergit humillima fundum:
Omnis terrarum non hinc illam exciet orbis.
Plauſibus usque licet ſtrepat, & crepet undique laudes.
Gnara ſui, ſtrepitum popularis reſpuit aurae:
Et ſurda inviſos ſibi, praeterit aure ſuſurros.
Acrius invitae praeconia ſi ingerat orbis.
Munde; quid incaſsum decoras nos laudibus? inquit.
Siquid ineſt decoris: ſiquid reſplendet honoris;
Haud noſtrum jubar eſt: aliena luce nitemus!
Quod ſumus; auſpiciis noſtris; molimine noſtro
Non ſumus! unius divini Numinis eſt haec
Gloria! Flagitium eſt nobis adſcribere quidquam!
Ipſe uſus bonus, & meritum; quae laudibus effers:

(Si

(Si meritum tamen eſt: hoc, qui non fallitur unquam
Judice) non noſtrum decus eſt: ea gloria tota
Illius eſt pariter, cujus ſunt omnia. Noſtrum eſt:
Duntaxat nihilum, defectio; noſter abuſus.
In vitia, & cunctas praeceps propenſio noxas.
En tibi noſtrorum ſeriem, ſummamque bonorum!
Sic agit ex animo: ſic ſentit humillima virtus,
Atque ſugit laudes mage quam ludibria quaeque,
Contemptumque ſui vitare ſuperbia tendat.
Nec ſolum illecebris laudum nod paſcitur ullis:
Deſpectus, jugisque ſui contemptio, probra:
Et per grande neſas, in ſe convicia ſuſa;
Sunt in amore illi prae laudibus omnibus, atque
Plauſibus: iſta cupit, votisque ardentibus optat.
Sic tamen opprobriis onerari geſtit, amatque:
Ut vitio, culpaque ſua non praebeat anſam.
His magis oblectat ſeſe, mage gaudet ovatque;
Quam rudis, aut fallax virtus excepta ſecundo
Murmure, ſe jactet, ſamaque triumphet inani.
Scilicet ut tanto reſpondeat amplius illi,
Virtutum ſpeculo, quo non perfectius ullum:
Induto corpus mortale Hominique DEOque:
Cujus in opprobriis, contemptibus, atque dolore,
Et cruce perpetua (noſtrae, quae cuncta, ſalutis
Cauſa ſuſtinuit:) decus immortale reſulſit
Virtutumque jubar divino Numine dignum.

Nil

Nil fuit eximiis praeſtantius ipſius actis:
Ac ne mente quidem cuiquam depingere fas eſt:
Virtutum ſpeciem, ſpeculumque illuſtrius ullum:
Quis tamen opprobriis gravioribus obrutus unquam eſt:
Atque hic virtutum Rex, & ſanctiſſima norma?
Nec tamen idcirco probitatis deſiit ardua
Munia obire lubens: quin haud ex omnibus unus
Ambitioſus homo; tanto flagravit honoris,
Et famae ſtudio: quanto ille ardebat amore
Contemptus, paupertatis, jugisque doloris.
His tribus ille notis, paſſim vitaeque, necique
Impreſſis, ſuper aſtra ſuae probitatis honorem
Extulit, & ſummae, conſummataeque reliquit
Virtutis ſpecimen nobis mortalibus aegris.
Non aſsurrexit probitas hucusque Sophorum,
Magnificis, orbi quam commendare ſtudebant
Verbis, & ſcriptis. Celebris Respublica, ſummo
Quam Plato adumbraſti ſtudio; veſtigia tantae
Nequaquam probitatis habet: vix imo vel umbram.
Huc celebratorum non pervenere virorum
Inclyta facta licet; quae tollit ad aſtra vetuſtas.
Virtutem ſane illi ſe coluiſſe ferebant:
Non coluere tamen; quoniam coluere ſuperbam.
Calcabant faſtum; ſed ut exprobravit acutè
Quidam uni ex iſtis: animi majore tumore.
Talem & noſtrorum (veterum germana propago:)

U Turba

Turba (*) Sophiſtarum virtutem venditat orbi:
Quae cum magnificis naturae juribus adfert
Grande ſupercilium, follique ſimillima turget;
Nomina pulchra crepans naturae juris & aequi:
Officiique triplex genus: erga Numen, & erga
Nos ipſos, aliosque, quibuscum vivimus unâ:
Nec tamen ad nomen vitâ reſpondet & actis.
Haecce frequens hodie praebet ſe larva videndam.
Laudatis ſupra ſed enim munita ſigillis,
Atque notis Chriſti inſignis; perrara vel inter
Chriſticolas hodie eſt: rariſſima; humillima virtus.
Hanc pauci colimus: vix ulli paene modeſtam.
Juſtitiam colit hic: eſt ſervantiſſimus aequi,
Excubat illius momenta ad ſingula: cautus
Nequa, ſuâ culpâ cuicunque injuria fiat.
Idem omnes partes integri Judicis implet.
Nil precibus tribuit; donisve, minisve, favori.
Liber ab invidia, lucrique libidine liber,
Ira, odio, atque metu, vacuusque affectibus illis;
Juſtitiae quicunque bonum corrumpere ſverunt.
Haud ungvem latum quondam deflectit ab aequo.
Hic tamen ut Judex habeatur ab omnibus aequus:
Ut ceu juſtitiae ſpeculum noſcatur, ametur
Percu-

(*) *Ambitioſo Philoſophorum nomine ſe inſigniunt hodie: vulgus Deiſtas appellat, veri & meri Sophiſtae.*

Percupit, & justus cum sit; vult justus haberi;
Sique aliquo fato: merito fraudetur honore:
Aut injustitiae macula aspergatur inique;
Tabescit luctu: queritur, fremit & flagrat ira.
Hujus justitiae quid desit, nosse requiris:
Multum nempe deest; licet una modestia desit.
Namque basis virtutis abest, praesensque ruinae
Ac damni discrimen adest: colit iste superbam
Justitiam: moles sine fulcro educta vacillat;
Et ruet omnino nisi fundamenta locentur.
Justitiam quicunque basi stabilivit in aequa;
Justitiae minime cumulari laudibus optat:
Quam tribuit cunctis, prout unusquisque meretur,
Æquo fert animo sibi si laus justa negetur.
Imo suam citra culpam dici optat iniquus.
Est alius pius in Superos, pius inque Parentes:
Et pariter pius in Patriam, cunctosque propinquos.
Laudat amatque DEUM: meritas persolvit, habetque
Pro meritis grates: Divini munia cultus
Cura exquisita peragit. Non negligit ullum
Officium in Patriam & consangvinitate propinquos.
Hic tamen ut pius est; pietatis nomine gestit
Laudari, si haud laudetur, minimeque putetur
Esse pius: moeret, squalet, dolet, uritur aeger.
Nutat & haec pietas, fundamine nuda basique.
Qui solide pius est: solide pius esse laborat:

Sermones hominum de se; nihil ille moratur.
Nec modo non prensat pietatis nomine famam
Sed minus esse pius dici cupit atque videri.
Celsa sit ut virtus: humilis simul ut sit: oportet.
Ipsa caducarum pia despicientia rerum,
Contemptusque sui; quo se quis subdere cunctis
Pergit amore DEI vilissima munia captans;
Fundamento humili superimponatur, oportet,
Quaerat ut esse humilis: talis non quaerat haberi.
Scilicet ingentem molem virtutis ad astra.
Educit Divinus amor, submissio fulcit.
Hoc super infragili fundoque basique locata;
Firma stat adversus ventos, saevasque procellas
Infestae fortunae omni feritate prementis:
Adversusque omnes virtus immobilis ictus.
Intentata sibi, quibus attonat orbis & orcus
Fulmina contemnit, quin imperterrita ridet;
Indemnis, similisque sui, secura ruinae.
Finibus haut arctis se continet aurea virtus:
Ad spatium omne loci; spatiumque ad temporis omne
Extendit se se: Personas respicit omnes:
Officiumque facit, quoties venit istius usus.
Futilis est virtus, quae non sibi constat ubique.
Si vera, & perfecta est: sit generalis; oportet.
Emicat in templo veneranda modestia Caj:
Emicat inque foro: coram majoribus, hisque;

Qui

Qui prodeſſe queunt Caj, qui rebus obeſſe.
Cajus at aequales inter, ſociosque minores:
Intra ſepta domus, omni cenſore remoto:
Non vultu, non inceſſu, non voce decorum
Praefert: vix ulla ſenſus hic lege coercet.
Manca tua eſt virtus, quam, Caj his finibus arctas.
Conſtat ubique ſibi, ſemperque modeſtia conſtat.
Vera omnis virtus adeoque modeſtia vera:
Officium nunquam proprium, nusquamque relinquit.
Naevius in ſocios effuſo fertur amore
Jllos officiis complectitur omnibus: auget
Donis: ipſorum gaudet de ſorte ſecunda.
Indolet adverſis vicibus. Pro parte virili
Succurrit miſeris. At Naevius officia iſthaec
Praeſtat iis; ad quos animi propenſio ducit,
Blandaque commendat naturae gratia quaedam:
Quique tibi totos dant ſe, nutumque ſequuntur.
Qui demum referunt meritas pro munere grates:
Aut, quocunque modo reſpondent Naevii amori.
Naevius aſt ab iis; a queis mens ejus abhorret:
A queis nativam ſentit ſe ferre repulſam,
Quosque repugnantes quaqua ratione ſuomet
Ingenio novit: tanto mage quos habet hoſtes;
Avertit ſe ſe: nullo hos dignatur amore:
Nulloque officio: quin averſatur & odit.
Truncus amor tuus eſt Naevi. Sincerus amator

Sic multos homines amat; ut non eximat illum.
Una omnes ratio & finis (Deus unus) amandi est:
Cujus; in unoquoque nitet vitalis imago:
Hoc si ab amore unum excipias; non diligis ullum.
Nil credit, prout credere opus; qui dogma vel unum;
Firmiter haud credit; quamvis reliqua omnia credat.
Nullum ut oportet, amat: qui odit non amplius unum.
Non arctatur amor: virtus amplissima quaeque est.
His impressa notis, qualem deduximus usque,
Exsuperat fateor, naturae totius usum;
Est germana tamen; non commentitia virtus.
Prodigiosae hujus probitatis Homoque Deusque
Orbi, terque quaterque augusta exempla reliquit.
Id genus, innumeros vexit super aethera Divos,
Et vehit usque hodie coelo contermina virtus.
Huc levat infirmas (quo nunquam assurgere possent
Omnibus auxiliis naturae) gratia, mentes,
Vimque parem, robur par sufficit, atque vigorem:
Gratia; supremi donum immortale Satoris
Terrarum & coeli; quo non pretiosius ullum
Gratia; proh quanto nobis quaesita labore?
Impensis quantis; quanto sudore parata!
Caede Redemptoris, dirisque doloribus empta!
Haec animos hominum collustrat luce superna,
Cordaque succendit flamma coelestis amoris.
Ut videant, quantum distent aeterna caducis.

Quan-

Quantum opibus mundi virtus pulcherrima praestet.
Ut penetrent alto sensu, stupeantque videntes;
Quanto intervallo post se bona fluxa relinquat
Infinita DEI bonitas: & amore liquescant
Jllius; immensum quantum qui dignus amari, est.
Salve Divini ter amabilis aura susurri:
Ros coelestis ave spirantis dulce savoni:
Lux animi melior; suavissima gratia salve.
Te lucente cadunt tenebrae; depellitur error:
Gaudia fluxarum rerum ceu somnia vana
Diffugiunt, & restincto, male qui arserat, igne;
Numinis unius, corda inflammantur amore
Te spirante, vigor coeli mirabilis afflat,
Quo vegetae mentes audent ingentia facta,
Virtutumque, orbi, monumenta stupenda relinquunt.
Te pugnante ruunt moles, quas objicit orcus:
Rumpuntur laquei, quos tendit mentibus orbis,
Quaeque animas perdit; perit insidiosa voluptas.
Te revelante animi superas tolluntur ad arces,
Inque ipsam penetrant Divini Numinis aulam.
Supplementa, tua demum virtute parantur
Et pretii & meriti; per quae possessio aditur
Numinis aeterni, quod solum corda beare
Æternumque potest felices reddere mentes.

O DEUS!

O DEUS! o Bonitas! merces virtutis & Author!
Te modo complectar minime moror; omnia perdam!
Omnibus amiſſis, te ſi dilexero ſolum;
Infelix nequeo; nequeo non eſſe beatus!
Omnibus obtentis, Te non complexus amore;
Nemo poteſt felix; nemo valet eſſe beatus.
O! utinam immenſae Bonitatis amore liqueſcat,
Hocque ſalutari noſtrum cor conflagret igne.

FINIS PARTIS PRIMAE.

Ad Majorem DEI Gloriam.

IGNA-

ERRATA

AD PRIMAM PARTEM.

DEUS.

Pagina.	Menda.	Corrige.
2. v. 12.	o Nomen! - -	o Numen!
ead. v. 18.	recunant: - -	recusant:
3. v. 15.	Suprumus: - -	Supremus:
7. v. 17.	Si - - -	Sic
11. v. 17.	ad - - -	ac
12. v. *ult.*	est - - -	ast
13. v. *penult:*	obtentam - -	natam
14. v. 7.	auferet - - -	auferret *rectius* abriperet
14. v. *ult.*	Haet - - - - -	Haec
17. v. 7.	Quorsum - -	Quare
18. v. 15.	angustius - - -	augustius
18. v. *penult:*	acuatur - -	tribuatur
19. v. 13.	fit, - - -	fit,
21. v. 1.	tempestatet - -	tempestates
22. v. 11.	consit - - -	consit
31. v. 3.	fuerint - - -	luerunt
47. v. 15.	gemimarum -	gemmarum

PROVIDENTIA.

ij. v. 7.	denique - - -	demique
iij. v. 18.	inexuit - - -	innexuit
viij. v. 1.	quam - - -	qua

viij.

Pagina.	*Menda.*	*Corrige.*
xiij v. 16.	Sie falleretur -	Sic falli posset *Rectius castigandus integer:* Hoc posito; falli divina Scientia posset.
xiij. v. *ult.*	brobatum - -	probatum
xvi. v. 2.	Sceleratus - -	Sceleratas
xix. v. 2.	insinitam - -	infinita
xix. v. 14.	quaeque - -	quaequae
xix. v. 23.	non obnoxius -	haud obnoxius
xxi. v. 1.	destinat, aptat. -	destinat, ordinat, aptat.
xxi. v. *ult.*	Sanne - - -	Sanae
xxij. v. 18.	mancipis - -	mancipia
xxiij. v. 2.	Socordem - -	Socordûm
xxiv. v. 22.	Quonam, cum summa, -	Cum summa, quonam
xxvi. v. 16.	ad horum - -	at horum

A N I M A.

50. v. 3.	privarepue - -	privareque
ead.	*Post versum* 13. *hunc:* Pars hominis melior &c. *restitue suppressum istum:* Quem tamen interitum menti consciscere totus.	
ead. v. 21.	coequent - -	coaequent
51. v. 17.	praestanticus -	praestantibus
52. v. *ult.*	trigona, rotunda, quadrata? -	quadrata, trigona, rotunda?
53. v. 22.	recta - -	recte
ead. v. *ult.*	mirabliis - -	mirabilis
54. v. 3.	Innumerus - -	Innumeras
ead. v. 7.	Nes - - -	Nec
55. v. 11.	Persvadit - -	Pervadit
ead. v. 21.	Hi - - -	Ni
ead. v. *penult.*	Epicuree -	Epicureae
56. v. 13.	quae organa -	quaeque organa
57. v. 18.	innumezis - -	innumeris

Pagina.	*Menda.*	*Corrige.*
57. v. *ult.*	Materia - -	Materiae
58. v. 5.	Concisus - -	Concisas
59. v. 13.	aliunde - - -	alicunde
60. v. 2.	audis - - -	audit
62. v. 4.	atomis - - -	atomi
ead. v. 11.	nequeunt penitus	penitus nequeunt
ead. v. 21.	Materia. - -	Materiae,
ead. v. 23.	bumani - - -	humani
63. v. *ult.*	unquam - - -	usquam
66. v. *ult.*	Sapienti potente	Sapientipotente
67. v. 23.	quo ad - - -	quoad
68. v. 11.	minim - - -	minime
70. v. 20.	Ut pote - -	Utpote
73. v. 20.	mame - - -	manet
74. v. 21.	ipsas - - -	ipsae
77. v. 4.	hae - - - -	haec
79. v. 8.	comulata - -	cumulata
82. v. 1.	queeso - - -	quaeso
85. v. 17.	non nostras	*expunge* non
86. v. 23.	praecipimus, cui est mens -	praecipuus, cui mens est
88. v. 3.	eadem - - -	easdem
89. v. 11.	Audimus - -	Audiimus
ead. v. 18.	nec audimus; - -	nec audiimus;

RELIGIO.

93. v. *ult.*	iuventa - -	inventa
94. v. 18.	quod - - -	quid
104. v. 10.	peespicientia -	perspicientia
ead. v. 13.	Conitas - -	Bonitas
ead. v. 19.	nescitque, - -	noscitque,
105. v. 9.	aliqua, - - -	aliquo,

Pagina.		*Menda.*	*Corrige.*
106.	v. 2.	Peudet - -	Pendet
110.	v. 1	Ad cognoſcendam -	Ad cognoſcendum
ead.	v. 9.	omnis - - -	annis
113.	v. *ult.*	falſi - - - -	faſsi
114.	v. 1.	factis; - - -	Sectis;
ead.	v. 2.	notet - - -	notat
ead.	v. 17.	Signat, - - -	Signant,
116.	v. 23.	ufflati - - -	áfflati
119.	v. 22.	mele - - -	male
122.	v. 10.	tres - - -	res
ead.	v. 23.	laudatur - -	ludatur
123.	v. 19.	facta repugnent -	facta perinde repugnent
126.	v. 9.	elógio, - - -	eloquio,
ead.	v. 10.	honoro, - - -	honore,
ead.	v. 21.	Ant - - -	Aut
127.	v. 22.	cum cum *expunge alterum*	cum
128.	v. 8.	quantum - -	quantam
129.	v. 2.	Corde - - -	Caede
ead.	v. 7.	Signa, - - -	Siqua,
134.	v. 20.	ſerltate - - -	feritate

V I R T U S.

144.	v. 3.	quaeritur - -	queritur
ead.	v. 14.	in gloria - -	ingloria
148.	v. 11.	omnia omnia *expunge alterum*	omnia
149.	v. *ult.*	minimae; - -	minime;
150.	v. 7.	ne ſe - - -	nec ſe
152.	v. 10	nod - - - -	non
153.	v. 1.	illum. - - -	ullum.
189.	v. 19.	Te revelance -	Te relevante

IGNATII WILCZEK
CARMINA.

IGNATII WILCZEK
CARMINUM

PARS SECUNDA.

COLORES.

RES jucunda color: ſed qui, dum lumina paſcit,
Excruciat mentes: &, dum ſolatia tanta,
Totque voluptates, veneres tot, totque lepores
Exhibet ante oculos; animis ſe prorſus opacat:
Hoc ut jure, voces fugientem rite colorem.
Sed conjecturae; ſed opinamenta Sophorum
Jllius excutiunt latebras; vehementius inſtant;
Urgent, veſtigant, affectanturque fugacem.
Languidus & vivax radiorum motus, & ictus
Acrior & pigrior, lucis quem ſpicula noſtris
Infigunt oculis; ſimul umbræ mixtio: ſive
Largior, aut minor in medio interceptio lucis,

Dant jucunda oculis ſpectacula mille colorum,
Hos, prout in medio ſpectandos ſe aëre praebent,
Vulgo apparentes, Phyſici dixere: fugaces
Rectius appelles. Tibi quos ex ordine, paucis
Verſibus expediam. Trinum en ſyſtema colorum:
Queis mare, queis tellus, ignis, queis pingitur aether!
Blandum opus audenti fer opem, Deus optime, Vati.
Atque tuis radiis noſtros accende colores.
Quid color eſt albus? tenuiſſima ſtamina lucis,
Quorum, dum feriunt oculos, eſt vividus ictus.
Fortibus atque adeo radiis tantummodo conſtat;
Et quibus, admixtum nihil eſt umbrae, color albus.
Fortibus & flavus: ſed languidioribus albo,
Absque ullis tamen inſertis componitur umbris.
Ex radiis pariter vivacibus, atque citatis
Naſcitur in medio rubeus color; at quibus una
Multae, cum radiis inſunt languentibus, umbrae.
Quippe hebetant lucis radios fumi, atque vapores,
Et varii ſucci, quibus eſt foetiſſimus aër:
Et per quos radii lucis vibrantur ab aſtris.
Dant viridem, radii moderata vibratio quaedam,
Et moderata umbrae quaedam caligo, colorem.
Languidior viridi vibratio, & amplior umbra
Caeruleum gignunt. Violis color aemulus, umbrae
Plus etiam recipit, radiisque remiſſius inſtat.
AEquo plus umbrae, juſtoque remiſſior ictus

Si

Si radiis insint, sic, ut vibratio nostros
Segnius irritet sensus; atratus habetur
Hinc color, aut fuscus Primi videu', unde colores
Septem! Sexcenti reliqui nascuntur ab istis.
Nec male procusum, quod do systema, putato:
Multis hoc Physici firmant rationibus. Albus
Quod color e radiis constet vivacibus; inde
Non male conjectant, quod summe lumina nostra
Is color irritet: paulo minus illa lacessit
Sanguineus; flavus minus; & viridis minus istis;
Caeruleus minus omnibus his; minimumque nigrescens.
Obvia quod rursus docet experientia. Solem
Intentis oculis, specta tantisper in ortu,
Aut occasurum, nimio ne lumine laedat
Lumina. Tum clausis oculis advertito mentem.
Vivida continuo tibi sese Solis imago
Ante oculos sistet, Solemque videre putabis
Te, clausis oculis: qui primum luce nitebit
Albescente, dein rosea, croceaque subinde,
Denique caerulea, donec vanescat, & atrum
Desinat in spectrum: postquam vestigia nempe
Luminis illisi fibris delentur, hebentque
Nervi oculi, radiis Solis non amplius icti.
Fortibus e radiis rubeum constare colorem,
At quibus umbrarum plus, interponitur, aequo,
Si pergis dubitare: rogi, dum concipit ignem,

Attentis oculis, variantem ſuſpice flammam.
Ut, viden', illa rubet ſurgentibus undique fumis?
Ut flavet dein, diſcuſſa caligine fumi
Nonnihil? ut demum reſplendet lumine claro
Albeſcens, penitus pulſo ſuſoque vapore?
Nempe ruber color eſt radiorum faſcis, in orbem
Fortiter actorum, ſed quorum reddit inanes
Non paucos, vapor & fumus; qui ſpargitur omnem
Latius in partem, lignum dum concipit ignem,
Dumque ſuperficiem lignorum, flamma praeurit.
Tunc etenim fumus multos, multosque, vapores,
Luminis abſorbent radios, alioque reflectunt.
Aſt ubi corripitur flammis pars intima trunci,
Protinus e rubeo, vivax color emicat albus.
Scilicet exactis fumis, ſuſoque vapore,
Fortius impellit radios vivacior ignis.
Haec quoque cauſa facit, cur Sol rubicundus in ortu:
Et ruber, occiduas cum ſeſe mergit in undas,
Senſibus apparet. Subtilia ſtamina lucis
Offendunt obices, longis in tractibus aurae,
Halitibus foetae, foetaeque vaporibus. Iſti
Avertunt multos radios, & in avia flectunt:
Hos hebetant, illos ſpoliant pernicibus alis,
Quosdam avide ſorbent, caecisque meatibus abdunt.
A, magis atque minus crebris impulſibus, intra
Unum momentum factis per ſtamina lucis,

Non-

Nonnulli ſatius repetendos eſſe colores
Cenſent, ſeque Soni ſimili ratione tuentur.
Nempe velut variis a pulſibus, atque tremore
Aëris, impreſſis auri, Sonus omnis habetur,
Et genus omne ſoni, flexus, moduliqne canori,
Sic color e variis radiorum pulſibus, ortum
Omnis habet, ſeriemque: ac nonniſi luminis ictu,
Pulſibus, & reditu numeroſo, abſolvitur omnis.
Et ſane, ſi certa poteſt vibratio fluctus
Aërii, tot diverſas vocesque, ſonosque
Edere; cur nequeat lucis vibratio certa,
In fibris oculi varios formare colores?
Sique frequentati pulſus nimis, atque repulſus
Aërii, per tempus idem, vivacibus aures
Vocibus, atque ſonis complent, valideque laceſſunt:
Quidni perſtringant oculos vivace colore,
Luminis impulſus; quorum aequo crebrior ictus?
En ſingillatim quanam ratione colores
Primos expediant! Color, illi, candidus, ajunt,
Eſt ſitus in radiis, quorum creberrimus ictus,
Per breve tempus idem nervos fibrasque laceſſit.
Itque, reditque frequens radiorum faſcis & ille,
Qui rubeum extundit, fibras quatiendo, colorem:
Rarior at paulo tamen iſtius, atque prioris,
Intra tempus idem, nervis infigitur ictus.
Parcius ingeminant pulſus ea ſtamina lucis,

Quae flavam pingunt: his rurſus parcius illa,
Quae viridem ducunt ſpeciem. Sic caetera porro.
Nec varios adeo, pingi mirere colores,
Per lucis radios, natura ſimillima quorum eſt.
Nam ſi chorda eadem plus tenſa minusve, tot edit
Icta ſonos: cuivis pronum eſt deducere, quinam
Indolis ejusdem tenuiſſima ſtamina, noſtris
Tot pigmenta oculis poſſint offerre videnda.
Attamen incaſſum, numerum quis perget inire,
Uno momento quoties, feriantur in albo
Nervi oculi? in rubeo quoties; flavoque colore?
Nam ſi nemo poteſt alternos aëris icti
Impulſus, quando ille ſonos noſtrae imprimit auri,
Enumerare; quis eſt, lucis qui ſupputet ictus?
Aëre, quae tanto repetit velocius illos:
Quanto eſt mobilior, quantoque minutior iſto?
At ſatis eſt; quod, uti numeroſa vibratio, facta
Aëris in liquido, genus adferat omne Sonorum:
Haud aliter lucis vibratio talis, ut ictus
Luminis, & pulſus numero, quodamve lepore
Secum conſpirent, genus efficit omne Colorum.
Diſtat ab hoc gemino longe, Syſtema politum
Magni *Newtoni*, noſtro quod perplacet aevo.
Induci varios, radii ſeptemplicis ictu,
Sed plane ratione nova, putat ille colores.
Tincta colore velut nativo, ſtamina lucis,

Ceu fasces septem radiorum, existimat esse
Diversi plane generis; differreque secum
Non motu, sed natura; qua nonnisi ritu
Dissimili penitus, possunt regeri atque refringi.
Nam, qua lege ruber radius reflectitur, atque
Frangitur; hac viridis regeri nequit, atque refringi.
At licet assumpti causas discriminis, inter
Fasciculos lucis, meliore in lumine nunquam
Collocet: imo istas nec demonstrare laboret
Nevvto; coloratis radiis tamen omnia pingi,
Pugnat, & ex mixtis secum, diversa colorum,
Praeberi nostris oculis, spectacula censet.
Quod si vere aperit *Nevvto* mysteria lucis:
Existunt, septem radiorum, hoc ordine, fasces.
Primus nempe ruber: dein aureus: excipit istum
Flavus: & hunc viridis: viridi vicinus habetur
Caeruleus: sextum numerum color Indicus explet:
Ultimus in serie violis color aemulus exstat.
Hi pigmenta velut, tot sunt, quae cuncta colorant.
Nec tamen hinc, fuco velut illita corpora, fingas;
Id, quanam fiat ratione, docebimus infra.
Porro vehit radius proprium sibi quisque colorem,
Nec socios spoliat; sed nec spoliatur ab ipsis
Immixtus turbae: quamvis tunc lumina fallat,
Ac veluti personatus discurrat, agatque;
Quisque ruber fuit, aut viridis, sese exhibet album.

Exuit,

Exuit, exceptus vitreo ſed priſmate, larvam:
Et ſe viſendum propria ſub imagine praebet.
Nam radii lucis, vitreum per priſma refracti,
Hoc ſe, quem ſupra memoravimus, ordine produnt.
Inde colorato lucis pro ſtamine, ducit
Nevvto argumentum princeps, a priſmatis uſu.
Et ſane multum facit, ad ſyſtema tuendum,
Priſmatis auxilium: multum experientia conſtans,
Vicenos a *Nevvtono* captata per annos;
Ac a ſexcentis, hodieque pericula facta
Mirifice ſemper ſibi conſentanea. Namque
Stamina rubra; rubri tantummodo: flava; coloris
Flavi duntaxat: vitreum per priſma refracta,
In noſtris oculis ſpeciem conſtanter adumbrant.
Caerula; caerulei: viridis; viridantia ſolum
Extundunt ſenſum; violis cognomina; tantum
Pigmenti ſpeciem, violis, cognominis edunt.
Ac licet hos faſces per priſmata plura refringas,
Hunc tamen aeterna ſervabunt lege tenorem.
Nec rubeus, viridis radii ſpeciem tibi pinget
Nec flavus rubei, nobis ſenſum ingeret unquam.
Languebunt equidem fracti per priſmata multa,
Laſsatique ſuum perdent jubar, atque vigorem:
Non tamen, amiſſo, ſpeciem, diſcrimine, perdent.
Priſmate ſejunctos radios, ſi denique vitro
(Quod lentem dicunt) coacerves; candidus exſtat

Hoc,

Hoc, color, in ſpatio, quo ſeſe tela decuſſant
Luminis, atque intercidunt, & in avia vergunt.
Haec vero plane docet experientia, naſci
Ex ſeptem junctis mixtiſque coloribus album:
Ut proin is nequeat ſimplex, & primus haberi;
At niſi ſimplicium confuſio ſumma colorum.
Candidus inde color radiorum inconditus ordo eſt.
Quod ſi primitii certa ratione jugentur
Inter ſe radii, quin confundantur in unum:
Ordine ſed, bene compoſito velut agmine, noſtros
Incurſent oculos; tot ſpectra coloris amoena,
Totque venuſtates pingent; quot ſchemata poſſunt
Eſſe, quibus ſecum ſunt lucis idonea ſeptem
Stamina conjungi; mixtum genus unde colorum.
Non ſecus ac vocum, & ſcripturae elementa, notaeque
Innumeros libros, & pulchra volumina conflant.
Aut velut ex junctis elementis, pondere certo,
Menſuraque ſtata, coaleſcunt omnia prorſus
Corpora compoſita; a Phyſicis, quae mixta vocantur.
Inter primigenos, album, nigrumque, colores
Eſſe recenſendos non cenſet *Nevvto*, quod albus,
Septem ſimplicium, mera ſit permiſtio, ut ante
Diximus: atratus, mera ſit defectio lucis.
Sed nigreſcentem, ſolida ratione, colorem,
Oſtendam deinceps, defectu lucis oriri.

PARS II.

Ecce coloris habes triplex ſyſtema fugacis!
Quae tamen, e tribus his, ſententia conſona vero
Sit magis, incertum eſt: certum tamen eſſe videtur,
Luminis a radiis, varia ratione, vibratis,
In medio naſci cunctos utcunque colores.
Hactenus in medio, quid ſit color, aëre, dixi.
Nunc age cum Phyſicis ſectemur mente ſagaci,
Quid ſit in objectis rebus? Pigmentane fixa,
Aut fuci quidam ſtabiles, ſunt illita cunctis
Corporibus; varias, ſpecies, quae viſa coloris
Mentibus ingenerent noſtris? an nullus in ipſis
Rebus ineſt fucus? ſed tantum luce refracta
Rebus ab objectis varie, varieque regeſta
In noſtros oculos, genus omne coloris adumbrent
Corpora; quae nobis inſecta colore videntur?
Atque, colorato tales in corpore fucos;
Quales apparent, non eſſe; ſed omnia pingi
Luminis auxilio, varia ratione reflexi,
Argumenta probant firmiſſima: certaque res eſt
Jam Phyſicis hodie: nec doctior ambigit ullus.
Ludimur incauti! ſi ſenſibus, ergo putemus
Judicibus, queiſdam velut illita corpora fucis!
Corporis umbroſi variis contexta figuris
Summa ſuperficies, variiſque referta minutis
Particulis: cubicis, polygonis, atque rotundis,
Flexilibus, rigidis, duris, & mollibus, hirtis,

Lae.

Laevibus, & ſcabris: majore minoreque lumen
Vi reflectendi natis: majoreque lucem
Vi refringendi donatis, ſive minore:
Innumeris demum diſciſſa meatibus: omnes
Abſolvit (prout ſunt ex rerum parte) colores.
    Induet innumeras ſpecies, formaſque colorum,
Quaeque ſuperficies cujuſvis corporis; apte
Si varios illi plexus inducere noris.
Caeruleum, flavumque vitrum, contuſa minute;
Marmor item nigricans, abeunt in pulveris albi
Congeriem, nullo quantumvis illita fuco.
Quin atramenti, dum bullat, candida ſpuma eſt,
Teſtaque cancrorum, paulo ſubnigrior ante,
Cocta rubet: fuſis, fuerat quibus obſita paſſim,
Particulis luteis, undae virtute calentis.
    Ut tamen immutes, in opaco corpore, vultum;
Non ſatis eſt plexum, ſpectatis partibus ejus
Senſilibus, variare; ſed eſt varianda, ſecundum
Particulas minimas, pars corporis extima. Carbo
Craſſius attritus, non exuit inde nigrorem,
Seque minutatim concidi non ſinit. Atrum
Dum contra marmor, quia ſeſe in fruſta friari
Exiguae molis patitur, candore nigrorem
Mutat. Conſtat enim ſubduris, atque rotundis
Particulis; ſed queis, dum ſunt in marmore vinctae,

Cru-

Cruſta luti quaedam, multum quoque faecis adhaeret;
A quibus hauritur radiorum copia major.
Nec magnus labor eſt, imprimis mille colores
Abſque colore novo, liquidis inducere maſſis.
Gallarum nucibus ſaturatum ſume liquorem;
Ramentis alium chalcanthi ſume ſubactum:
Limpidus en liquor eſt, experſque coloris uterque!
Aut certe modicum viret unus; nigricat alter:
Perſpicuus tamen hic, lumen tranſmittit & ille.
Ergo age, perſpicuos ſecum confunde liquores:
Momento citius tinctura nigerrima ſurgit.
Nempe nucis Gallae corpuſcula, pulvere mixta
Chalcanthi, villis ſe complectuntur, & hamis:
Addenſant maſſam: locupletior inde negatur
Luci aditus, ſeptis, clauſisque meatibus, intra
Particulas liquidi: vel certe partibus opplent
Flexilibus liquidum; quae ſorbent lucida tela.
Hinc interceptis radiis compluribus, humor
Nigreſcit: nigror eſt etenim defectio lucis.
Aſt age, aqua forti pigmentum dilue triſte:
Protinus exiſtet pellucidus humor, ut ante.
Fortis aquae partes, cuneis obſepta revellunt
Oſtiola humoris caeci, reſerantque canales,
Se, quibus inſinuant tenuiſſima ſtamina lucis.
Naſcitur hinc uſus, facili feliciter arte
Quo maculas atramenti detergere poſſis,

Et chartae aſperſas ſcite delere lituras;
Quin vities chartam, ſcalpas, radaſque, fricesque.
Fortis aquae guttis aliquot, tenuem imbue plumam;
Sic tincta pluma, nigricantem tinge lituram:
Protinus abſterſa redit ecce nigredine candor!
Si tamen infectae fuerint pinguedine quadam
Hae maculae; nil fortis aquae vis mira juvabit;
Nec ſublata ſemel chartis albedo redibit,
E violis maſſam medicinae lege paratam
(*Syrupum* Medici dixerunt) dilue lympha
Perſpicua: violas imitabitur unda colore.
Huic acidum miſce, quod nitri ſpiritus audit:
Continuo rubeum violacea lympha colorem
Induet a nitro. Quod ſi jam, jamque rubentem
Alcalico ſale perſpergas, rubra lympha vireſcet.
Et lignum Braſilum rubeo fuco inficit undam:
Haecque ſuperfuſo, ſubito flaveſcit, aceto.
Cui ſi Mercurii (ſic dicta) ſolutio, rurſus
Cum diſtillato ſuper infundatur aceto;
Candidus exiſtet lactique ſimillimus humor.
Haec ſatis evincunt: textura, mole, ſituquê
Nonniſi diverſis, certa ratione paratis,
Ad radios varie regerendos luminis, omnes
Ut ſunt rebus in objectis, conſtare colores.
Quid, quod & a caecis queiſdam mortalibus, ipſo
Tactu diſcretos, accepimus eſſe colores.
Namque coloratos, ubi pollice & indice, pannos
Tae-

Taeniolasque probe tentarunt, prodere fucum
Jussi; prodebant proprium cujusque colorem:
Nec sunt in capto, crebro, tentamine lapsi.
Quod quinam fieri quaeso potuisset; opaci
Corporis, in varia textura, mole, situque
Si color haud esset situs? ut deduximus usque.
Quod si nonnullis licuit distinguere caecis
Diversos tactu plexus, queis corpora firma,
Ad reflectendum redduntur idonea lumen,
Sic, ut diverso videantur tincta colore:
Non male, qui plexus quaenam pigmenta videnda
Objiciant oculis? animo scrutabimur. Ergo
Tincta colore albo spectantur corpora, quorum
Summa superficies est passim texta rotundis
Particulis, rigidisque simul; quae lucida tela
Fortiter in cunctas regerunt, absque ordine, partes
Paucaque sorbillant. Tunc diversissima quippe,
Sic semel, atque simul, radiorum spicula pulsant,
Ac feriunt oculos; ut puncto temporis uno
Impressos nequeant oculi discernere pulsus
Tot sibi dissimiles. Hinc perturbatio talis
Nascitur in fibris oculorum; qualis in aure
Sentitur fremitus; cum clamor tollitur ingens
A multa turba: tremulo concussa tumultu
Aura sonat, vasto miscentur in aëre voces,
Confusaeque simul nostras funduntur in aures.

Sic

Sic niveus color exoritur! Caecata nigrore
Corpora visuntur, quae lucis spicula rara
In nostros regerunt oculos, compluribus haustis.
Flexilibus minimis etenim cum partibus extra
Sint passim contexta, cavisque anfractibus aequo
Crebrius intus hient; quam plurima stamina sorbent.
Eminus, in domibus patefactas cerne fenestras!
Tot nigra nonne tuis sese spectanda quadrata
Objiciunt oculis; quot luminis ostia longo
Ordine stant, retro valvis vitrisque reclusis?
Scilicet, illapsum per aperta foramina lumen
Largius ingreditur, parceque revertitur inde;
Sorbetur caecis potior pars quippe latebris.
Sic nigricant aditus specuum: sic quaeque cavernae:
Sic densae silvae: sic nigricat eminus umbra:
Nocteque concubia nigricant ita corpora cuncta.
Hinc bene Virgilius: nox abstulit atra colorem,
Forte quis objiciat, quam plurima corpora secum
Conspirare situ & plexu; differre colore:
Et contra, distare situ, distareque textu,
Esse superficie, toto quin dispare, caelo:
Consentire tamen secum certareque fuco.
Lac, plumae cygni, calx, lilia, tela, papyrus,
Lana, nives; sibi sunt candore simillima nonne?
Quam tamen est plexus diversus in omnibus istis?
Contra, album marmor, nigrumque, simillima numquid

Ex-

Exteriore sibi plexu sunt corpora? quantum
Jlla colore tamen distant! Sed in hisce, necesse est,
Corporibus, duplicem recte distinguere plexum.
Sensibilem textum differre, fatemur, in albis
Corporibus: lana, tela, nive, lacte, papyro.
At vero plexus, qui sensum suffugit omnem,
Quique superficiem summam definit, & ex quo
Fracta modis variis regeruntur stamina lucis;
Consimilis, vel par his omnibus insit, oportet,
Quae apparent albo veluti circumlita fuco.
Ex adverso autem, nigrescens marmor, & album
Conveniunt equidem specie, plexuque cadente
Sub sensus: at enim sunt diversissima texto,
Atque superficie, quae lucida tela repellit.
Plenius haec quo perspicias, adverte, quod uni
Exiguo puncto, radiorum millia mille
Respondere queant: tam sunt subtilia lucis
Stamina; totque modis, & tot rationibus apta
Vibrari, celerare vias, percellere sensus,
Flecti, diffundi, regeri, findi, atque refringi:
Quot vix angustis animis effingere fas est.
Jure, Geometricis radios componere possis
Lineolis, ex queis coalescit linea curva.
Nam quot in hac flexus, quot partes, puncta, quot arcus:
Tot numerare fere radioso in fasce licebit
Angululos, curvaturas, tenuissima fila.

Haec

Haec animo reputans, si spectes insuper illud:
Quam variis discissa poris, tornata figuris,
Quamve minutatim corpuscula texta superne
Promineant, quovis in corpore; spicula lucis
A quibus acta retro, late sparguntur in orbem:
Non te solicitum torquebit cura molesta,
Unde sit in rebus variantia tanta colorum:
Infinita etiam discrimina tute coloris,
Rebus in objectis, debere exstare, docebis:
Jllita pigmentis, apparent corpora, rubris;
Summa superficies quorum est ita texta, rubentes
Ut radios regerat, reliquis cumulatius, omnem
In partem. Croceo pallore imbuta videntur;
Quae croceos radios, potiori parte, reflectunt.
Corpora, quae regerunt ex se viridantia lucis
Stamina, plura aliis; fuco vernante virescunt.
Caeruleo demum pigmento tincta coruscant
Corpora; quae, numero reliquis majore, remittunt
Caeruleos radios, aliis sitientius haustis.
Vestitum violis corpus spectabitur; ex quo
Multa reflectuntur violacea stamina lucis.
Sic fit simplicium septem, tinctura colorum.
Sed neque compositos, labor est, cognoscere fucos
Huic, symphoniaci, qui cantus chromata novit
Septem simplicibus conferre coloribus apte.

Luminis atque Soni tanta eſt cognatio nempe!
Aëris alterno pulſu ſonus editur omnis.
Luminis alternis, color, ictibus, emicat omnis.
Ocyor aut pigrior, per punctum temporis unum,
Aëris appulſus variat voceſque, tonoſque:
Pluſque minuſque frequens, momento temporis uno,
Luminis impulſus, mutat, variatque colores.
Dat ſuaves numeroſa ſoni moderatio cantus:
Dat blandos, lucis numeroſa vibratio, fucos.
In cantu, radix, fundamentumque tonorum
Eſt ſonus; unde ſuos ortus modulamina ducunt:
Si quoque pictores, par eſt, audire peritos;
Caeruleus, radix, fundamentumque colorum
Eſt color; ex quo alii ceu fonte videntur oriri.
Muſica in arte, tono blande tranſitur ab uno
Ad multos alios, donec redeatur eodem:
Deſinit in varios color unus, ſaepe, colores,
Circuituque velut facto, remigratur ad unum.
Segnius inſequitur modo pulſus in aëre pulſum;
Nunc aliis alii pennis pernicibus inſtant:
Tardius excipiunt ſeſe modo luminis ictus;
Nunc alios alii pennis velocibus urgent.
Quanta ſoni, ſucique viden', cognatio? fratres
Appellare, Sonum ut poſſis recte atque Colorem.
Porro ſuperficies ſic eſt aptata quibuſdam
Corporibus firmis, ut nunc hos, nunc vibret illos

Fasciculos lucis: roseos modo, nuncque virentes;
Et modo caeruleos, nunc illos temperet istis;
Pro vario positu radiorum, oculique videntis.
Hic color apparens vulgo, spuriusque vocatur.
Hinc vero promptum est cuivis deducere: quinam
Colla columbarum, miros a sole colores,
Mirificosque trahant anatum rutilantia colla.
Aspice apricantem, Phoebo radiante, columbam.
Dum collum torquet, sinuat, convertit in orbem:
Dum fricat ungue caput, plumas dum vellicat ore;
Delicias jactare putes, veneresque colorum.
Quot capitis flexus; nova tot pigmenta videnda
Exhibet: aureolis squamis circumlita, collum
Nunc sublime effert: roseis redimita pyropis,
Nunc rotat huc illuc: virides imitante Smaragdos
Fuco, non pingit; rutilo quem temperat auro:
Nunc apyroti instar flammas ructare videtur.
Chaoniam volucrem gestare monilia credas.
Sed vincit Pavo cuncta ornamenta colorum;
Isque venustates, decora omnia, colligit unus.
En, ut jactat opes, gemmasque nitore lacessit
Gemmeus ipse, suis maculis faculisque superbus!
Ut picturato modo terram syrmate verrit:
Ut modo regali fastu, & diademate turgens,
Erigit auratis violis spectabile collum!
Explicat ad fastum, stellatum syrma, rotatque!

Majeſtate gravis ſeſe miratur, amatque;
Ac ſe ſpectandum circumſpectantibus infert.
En, quot viſendos in verſicolore nitores
Syrmate ſe praebent! quot ſigna viceſque decoris!
At nuſquam tot opes, veneres tot, totque lepores,
Jllecebraſque datur cernendi copia tantas:
Quot, quantaſque licet ſpectare per arva, per hortos
Vere novo, varios dum ornat ſua gloria flores.
O quis honos hortis! o quanta eſt gratia florum!
In queis comendis omnem natura laborem;
In quibus ornandis rutilum Sol prodigit aurum;
Argentumque nitens, pigmentaque cuncta profundit!
Et quidquid decoris, quidquid reſplendet honoris!
Hic longe ſuperant alborem, lilia, lactis;
Narciſſique nivem longe candore relinquunt.
Hic quoque caltha ſuis vincit fulgoribus aurum.
Hic roſa, purpureo, Tyrios ſplendore nitores
Deſpicit, & nihili facit ornamenta pyropi.
Hic pariter Tyrios, imitata papavera, ſuccos,
Extollunt caput, & referunt de murice palmam.
Suaviter hic fucis, oculos demulcet ocellus,
Multorum referens unus, decora inclyta florum.
Hic violae, calices dulci ferrugine pingunt,
Hic interſtinctis tulipa coloribus, omnes
Provocat ad pugnam, multis elata triumphis.
Sexcentique alii, grato certamine, flores

Pro

Pro palma pugnant secum, regnoque colorum.
Hi tamen ornatus; haec magnificentia tanta,
Pompaque fucorum, quales in floribus usque
Vidimus: auxilio plexus, flexuque frequente
Luminis, in variis succis, queis vascula florum,
Et fibrae, tubulique tument, caecique canales;
Atque repercussa tantummodo luce parantur.
Et sane spectare datur mirabile textum,
Floris in articulis; structuraque tota stupenda
Hoc magis est florum, quo praestat quisque colore.
Turgent utriculi succis, crystallinus humor
Sanguinis in morem, per spiramenta, fibrasque,
Perque canaliculos, florum omnes irrigat artus.
Humor hic illapsae lucis tenuissima tela
Molliter inflectit, scite dispergit, & acres
Nonnihil emollit jactus, dextreque reflectit
In nostros oculos: fertur moderatius inde
Lumen, & in visum jucundius imprimit ictum.
In suaves modulos radiis ita porro reflexis,
Refractisque, oculus fucis mulcetur; ut auris
Suaviter afficitur scito discrimine vocum.
Sic quoque gemmarum, mixti splendore, colores,
Multiplici plexu, & radii multiplicis ictu;
Suavia tot nostris oculis spectacula praebent.
Gemmae etenim textae vitrei sunt prismatis instar:
Quae lucis radios tam grata lege refringunt.

De-

Denique quos natura, & quos pictura colores
Inducunt: omnes ista ratione parantur.
Ergo (quod monui) si rebus inesse putemus
Consimiles fucos, quales mens nostra tuetur,
Quando coloratis mulcentur lumina rebus;
Fallimur incauti! tamen est innoxius error!
At vero, vitium si se virtutis honore
Induat, & fuco (quod fit) nos ludat inani,
Pigmentisque, sui nobis inspiret amorem;
Si spurio nos infatuent bona fluxa colore;
Decipimur miseri! & culpa nos inquinat error!
O quantum in rebus fuci! mortalia quantum
Pectora noctis habent! capimur fallace colore!
Saepe boni specie, caeci, bona falsa, caduca,
Praeferimus veris: miserabiliterque perimus!
Nonne voluptates, & opes, & gloria mundi,
Sunt pigmenta velut totidem, fucique fugaces?
Aut velut unius vanissima somnia noctis?
Nonne, boni vana, virus, sub imagine, condunt?
Nil tamen his homines in vita ardentius optant;
Istaque Divinis audent praeponere rebus.
O DEUS! humanae Lux, o liquidissima mentis!
Decipimur specie rerum! sunt illita fucis
Plurima! Cimmerias nubes, tenebrasque resolve
Mentibus in nostris; ut non ludamur inani
Virtutis specie, spurioque colore bonorum!

SONUS.

QUAE natura Soni? noſtras quid mulceat aures?
Horrificiſque modis, quid vellicet, atque laceſſat?
Unde melos volucrum, feſtivaque chromata cantus?
Milleque gratarum veniant diſcrimina vocum?
Mens avet Aonio verſu deducere. Tanta
O utinam mentes paſcam dulcedine; quanta,
Blanda Soni noſtras, modulatio recreat aures!
Eſtque operae pretium, cauſas, doteſque Sonorum
Noſſe: nec auditus tantum dulcedine cantus,
Quantum oblectatur mens cognitione Sonorum.
Tu! quo, magnifica de caelo voce, tonante,
Terra, poluſque tremit, pelaguſque dehiſcit ad imum;
Quove ſavente, ſonat laetis concentibus orbis;
Affer opem, noſtroſque Sonos perſperge lepore.

Sub

Sub triplici ratione, Sonum ſpectare neceſſe eſt,
Jllius ut natura, probe perſpecta niteſcat.
Quid ſit is imprimis in corpore, quod ſonat? & quid
In medio ſpatio, per quod defertur in orbem?
Denique quid noſtris ſit in auribus ille? videndum eſt,
Atque, quid in noſtris, Sonus, auribus, & quid in ipſa,
Percipiente ſonos, ſit mente; cuique pateſcit,
Quiſquis & auditus, & mentis non caret uſu.
Nam, quamvis paucis, auris ſtructura, moduſque,
Quo ſit in aure, ſoni diverſa impreſſio, conſtet:
Interiore tamen ſenſu pernoſcimus omnes,
Quae ſit grata ſoni perceptio, quaeve moleſta.
Aſt ea cognitio, brutis animantibus aeque
Convenit: haec etenim ſenſu diſcrimina vocum
Percipiunt, produntque ſibi nonnulla viciſſim,
Indicio vocum (ſi fas ita dicere) ſenſa.
Nam ſe pelliciunt ad praedam, ad pabula, voce:
Et ſe voce monent, de vitae inſtante periclo:
Voceque ſubſidium ſociorum, ad bella requirunt:
Horribiles ſonitus fugiunt, blandoſque ſequuntur,
Nempe effecta ſoni ſunt auri cognita vivae.
At cauſae, doteſque ejus, naturaque tota,
Nonniſi ſolerti rationis diſcitur uſu.
Ergo age, principio latices fonteſque ſequamur,
E quibus emanat Sonus, & genus omne Sonorum.
Fontibus oſtenſis, rivos ſectabimur, auri

Se,

Se, quibus insinuant vocesque, tonique, sonique.
Postmodo quaeremus caput, e quo profluit Echo.
Illud, ad extremum, volvemus mente sagaci,
Qua ratione, Soni feriant sic organa nostrae
Auris; ut ex ictu, pulsuque frequente sonoro,
Nunc animos nostros subeat perceptio blanda;
Nunc ingrata soni, mentes, impressio vexet.
Corpora cuncta, suo gremio, quae continet Orbis,
Tantisper tranquilla, premunt sub pectore vocem,
Quoad pulsent vicina sibi, aut pulsentur ab istis.
Tum vero percussa, & percutientia, fundunt
Multiplici ratione sonos: stridentque, fremuntque.
Quaedam terrificis mugitibus, atque fragore,
Icta, tonant, miscentque solum, caelumque tumultu.
Haec pulsata, gemunt: concussa sed illa, susurrant.
Ista cient murmur: clangunt quatesacta, sed illa.
Acrius ista strepunt, secum collisa, crepantque.
Unde, sonum ut cieat, pulsari corpus oportet.
Nec sat ad edendum sonitum est duo corpora, sive
Plura simul, pulsu aut plaga quacunque moneri.
Praeterea, tremulo motu quatiantur, oportet,
Particulae minimae percussi corporis. Inde,
Si non concipiant corpuscula quassa tremorem;
Aut certe nequeant quassata tremiscere; nullos
Caesa sonos reddent, sed ad ictus surda, silebunt.

Quippe tremor maſſae, minimis in p rtibus, ictae,
Párticulisque frequens impreſſa vibratio pulſu,
Tota Soni eſt natura, ſonoro in corpore, ſumpti.
Certe non alium, fas eſt, poſt corporis ictum,
Dum ſonat, effectum ſenſu, vel mente notare,
Praeter eum, quem materies pulſata, tremorem
Suſcipit ex plaga inflicta, quatiturque ſecundum
Particulas minimas, & quo ſuccuſſa, ſonare
Continuo pergit; creſcentequè, largius edit,
Proſequiturque ſonos; at decreſcente, remittit;
Quo demum extincto, ſonus illico deficit omnis.
Porro tremor, ſine quo non edunt corpora vocem,
Quove ſonant, depoſcit itus, reditusque frequentes,
Fortes, & celeres minimis in partibus. Hinc, ſi
Lentius oſcillet chorda, & non quaeque ſeorſim
Illius exiguae partes; non editur ullus
Inde ſonus. Contra, ſi ſic corpuſcula chordae
Pulſa trement, ut nunc accedant, nuncque recedant
Exiguae partes a ſe, referatque figuram
Oblongi veluti, chorda irritata, quadrati;
Continuo tremefacta ſonos effundit acutos,
Sive graves, magis ut fuerit contenta, minusve.
Quod ſi chorda parum tendatur; concita plectro
Nullum, aut ſubmiſſum fundet taciturna ſonorem.
Scilicet, ad tremulos, dum languet, idonea non eſt
Motus. Quin etiam, ſi ſit bene tenſa, ſilebit,

Si ferias illam plectro, pinguedine tincto:
Nam molles partes, & elastri dote carentes,
Impressum chordae, cohibent, sistuntque tremorem.
Sic nullus poterit fundi sonus absque tremore.
Ergo Sonus, tremor est in corpore quoque sonoro:
Atque sonando tremunt, chordae instar, corpora cuncta
Et tremor a nobis tactu, visuque notatur.
Namque manu tractata, sonos, dum corpora fundunt,
Incutiunt mixtum, persaepe dolore, tremorem.
Dextra ita, Campano, stupet, aere sonante prehenso:
Et contrectatis fidibus, citharisque, tubisque
Dum resonant; tremor induci sentitur in artus;
Perque fibras, formicarum grex ire videtur.
Quin oculis etiam, poteris quandoque tremorem
Usurpare, sonos dum concita corpora fundunt.
Nam si labra scyphi vitrei, qui continet undam,
Ungere per gyrum, madefacto pollice, pergas;
Continuo a frictu, vitrum resonando tremiscet:
Nec secus, atque scyphus, crispabitur unda tremore.
Sique diu pergas, ungendo lacessere vitrum,
Dissiliet nimio, calicis structura, tremore.
Flammaque candelae, Campano admota sonanti
AEri, subsultat crispata, papaveris instar
Vere novo florescentis, cirrisque comati,
Sic saliunt atomi, radiosa in luce natantes,
Tympana dum crepitant, aut aenea fistula mugit.

 Porro

Porro receptandis, ſunt ſola, tremoribus, apta
Corpora, particulae quorum ſunt praeditae elaſtro.
Quo magis hoc pollent; hoc ſunt magis illa ſonora.
Nempe, ſonum edenti maſſae, linguae inſtar elaſtrum eſt.
Hinc maſſae molles, & elaſtri dote carentes,
Necquicquam ſurdis, adiguntur fundere vocem
Ictibus: hanc etenim nequeunt emittere mutae.
Cera, cinis, paleae, caro, foenum, pulvis, arena,
Et ſexcenta, aequo plus mollia corpora, caeſa
Molli ictu, ſonitum vix edunt: acrius icta,
Obtuſe reſonant: quia ſunt expertia elaſtri
Partibus in minimis; licet in majoribus, iſto,
(Ut lana, & foenum) ſatis eſſe inſtructa videntur.
Nec ſolum ipſa parum reſonant: admota ſonoris
Praeterea maſſis, has obmuteſcere cogunt.
Hinc aes Campanum, complens mugitibus aures,
Si nive circumdes, aut cingas fune, tegasve
Lana, ſeu panno, vel quovis corpore molli;
Continuo amittet, ceſſante tremore, ſonorem.
Sic vitrei calicis vacui, fundentis acutos,
Dum quatitur, ſonitus, infuſus ſupprimit humor.
Scilicet affuſae, corpuſcula mollia lymphae,
Obtundunt celerem vitri, cohibentque tremorem.
Hac ratione, ſonis apta aenea vaſa ciendis,
Si liquido repleas; ad eos redduntur inepta.

At

At contra, si languentes intendere nervos,
Machinulasque, quibus se corpora tensa retendunt,
Pressaque restituunt, massis intexere noris;
Seu, si materiae vim conciliaris elastri;
Protinus argutus sonus, hac existet ab arte.
Propterea, miscent secum diversa metalla
Artifices, qui conflant aeramenta sonora;
Festivisque sonis, ita idonea, musica reddunt
Organa fundendis, ita doctis cantibus aptant.
Argentum imprimis, cuprumque tremoribus aptum est
Id genus, unde melos blande se fundit in aures.
Massae igitur, quarum corpuscula quaeque seorsum
(Dum quatitur moles) oscillant, atque tremiscunt,
Ac per idem spatium rursus prorsusque feruntur,
Sunt totidem juges fontes, laticesque Sonorum.
Has moles, suêrunt Physici appellare, Sonora
Corpora. Jam tremulos motus, quibus ista cientur,
Primigenos dicunt Sonitus. Et jure profecto.
Quippe velut certis, manant a fontibus, omnes
Rivi: sic qui exstant & in aëre, & aure, sonores,
Primigenis ducunt istis a motibus, ortum.
Namque sonantis, ubi massae, corpuscula, ab ictu
Concipiunt tremulos motus; circumfluus aër
Participat similes, a mole sonante, tremores;
Atque tremiscentes fluctus, circum undique volvit.
Non secus, atque lapis, latas projectus in undas,

Ima

Ima petens, circum lymphas propellit in omnem
Partem; multiplices succedunt orbibus, orbes.
Sic sonus, a pulso, seu centro, mole sonante
Editus, aërios, sese diffundit in orbem
Per tractus, impressa vehens vestigia secum
Illius motus, quem impressit massa sonora.
Nec tamen inde putes, ex fluctibus aëris, actis
In circos, quales format lapis actus in undas,
Prout est in medio spatio, constare Sonorem,
Derivativum, Physici, quem dicere suerunt.
Aër assiduis agitatus fluctibus, orbes
Non recipit tales, quales stagnantibus undis
Concitat injectus lapis. Isti namque nec undis
Turbatis, poterunt describi; nec nisi summam
Pene superficiem sulcant stagnantium aquarum.
Praeterea ex uno, resonantis corporis, ictu,
Una soni tantum perceptio in aure notatur;
Quae paulum durat non interrupta, vigetque.
Atqui, per, similes his, quos advertimus, orbes
In stagno fieri, cum saxum commovet undas;
Interrupta soni perceptio, velleret aurem
Saepius, ex uno tantummodo corporis ictu.
Quippe moris justis abrupta rediret: ut orbes
Alternis vicibus redeunt; dum mergitur undis
Scrupulus injectus: vel rarior impluit imber.
Aëris ergo tremor, firma resonante trementis
Mole,

Mole, fere par eſt, ſimilisque tremoribus illis,
Queis minimae partes, agitantur, corporis icti.
Is tremor, offuſam maſſis reſonantibus, auram
Commovet in tenues cirros, criſpatque minutim.
Hocque tremore, Sonus ſpectatus in aëre, totus
Perficitur. Nec opus, tremulis his motibus aurae,
Neſcio quae commenta Arabum, cauſasque latentes
Addere, quae medio cieant ſonum in aëre, & edant.
Talia jam Phyſici, noſtro aevo, ſomnia rident;
Multiciplique probant ratione, tremoribus aurae
Abſolvi ſonitum, prout hic ſpectatur in aura.
Qua, veluti pelago fluctus volvuntur aquarum,
Innumerae voces ultro citroque feruntur,
Aërioque mari merſas labuntur in aures.
Sane, edente ſonum maſſa quacunque ſonora,
Non ſolum auditur fragor huic, qui proximus adſtat
Fundenti ſonitum moli; hanc a mole remotae
Accipiunt aures pariter: quin ſaepius ille,
Ad plures leucas, ſeſe diffundit in orbem,
In circumfuſa, maſſis reſonantibus, aura.
Atque ſine hac, nullus tremor eminus afficit aures.
Quippe licet moles, cunctis concuſſa tremiſcat
Artubus, atque atomis; ſtrepitum non audiet auris,
Si molem, circum non ambiat aura, trementem.
Sic ubi de vitreo, formam referente cylindri
Vaſe cavo, extrahitur repetitis ſuctibus aër;

Nola,

Nola, locata intra vas, quantumcunque frequente
Verbere malleoli, per elastrum fortiter acti,
Mittere vicinas, vocem cogatur in aures;
Non tamen accipiunt sonitum: sed lumina tantum
Observant surdos ictus, ubi deficit aër.
Nonnihil aëris, in vacuum submitte cylindrum:
Protinus afficiet sonitus, sed languidus, aures.
Ergo age, submotum reddas ex asse, cylindro
Aëra; nativum sonitum tibi nola refundet.
Quod si intra vitreum vas, addensaveris auram,
Inque minus quatruplo spatium constrinxeris; edet,
Nativo liquidum multo mage, nola sonorem:
Et tantum sonitus, quantum densatio crescet.
Quanquam, si justo densetur strictius aër,
Desinit intendi sonitus, quinimo remittit.
Sic ubi brumali, constringitur aura, rigore;
Ad tremulos sonitus evadit inertior. Illam
Tunc etenim salium corpuscula plurima stringunt,
Et veluti cuneis figunt: queis fixa, tremores
Vel tot non recipit; vel eo non provehit usque
Non secus atque luto multo, limoque referta
Segnior ad cursus, & fluctus, redditur unda.
Denique, quanta aurae variantia, tanta Sonorum est.
Pinguibus halitibus, multisque vaporibus, aura
Si saturata sit; ad sonitum, se reddit inertem,
Rite propagandum. Nam tunc spoliatur elastro
Magna

Magna parte sui; quod diximus ante, sonori
Corporis, esse velut linguam: nunc addimus, esse
Tanquam animam sonitus. Quocirca animatus elastro &
Liber ab halitibus, resonat contentius aër.
Inde, serenato, vox est liquidissima, caelo:
Nocteque concubia, sonus est vocalior. Aura
Tunc etenim turbata minus, quam luce, tremori
Apta propagando magis est: magis inde sonora.
Quippe die, innumeris, agitatur fluctibus aër,
Per juges Solis, pecudumque, hominumque, labores.
Hac causa, sonus, ad rapidi ripam, editus, amnis,
Clarus in adversum littus, transmittitur aegre:
Quantumvis, non sit fluvii, aequo latior alveus.
Quippe supersusam lymphis, exasperat auram,
Cursus aquae rapidus, tremuli vestigia motus
Illius delens, quo per linguam aura cietur,
In ripa dum clamat homo, crepitantibus undis.
At contra, leni si cursu, lympha feratur:
Quantumvis, aequo sit laxior alveus amnis:
Aut lacus, immotis stet justo latior, undis:
Lata superficies undarum, littore ab uno,
Littus in adversum, lubrico vehit aequore voces:
Has, quo non adigit, telluris in aequore scabro,
Lingua sonos fundens. Nec solum littore ab uno,
Littus in oppositum vehitur vox longius, ultra

Legitimum ſpatium; ſed flumine lene fluente
Ulterius penetrat, curſu provecta ſecundo.
Aëris auxilio, bibit ergo noſtra ſonores
Auris; & exporrecta, ſonum non percipit ullum,
Ni tremat hoc ritu, quo maſſa ſonora tremiſcit.
Nec ſic porro tremet, niſi tympana verberet aër.
Aëris auxilio, pulſata mole ſonora,
Saepe tremunt pariter circumſita corpora firma.
Quin etiam trans ſe, ſonitum transmittere poſſunt.
Vidimus horribili tonitru, nubisque fragore,
Vitra feneſtrarum primum fremuiſſe: ſubinde
Contremuiſſe domum, totis ſimul artubus omnem:
Rite licet fuerit clauſa, atque impervia vento.
Scilicet exterior, qui circumſunditur, aër
AEdibus, ad ſimiles, quibus intremit ipſe, tremores
Excitat, atque adigit firmae corpuſcula maſsae.
Ille tamen noſtras, ſonus it confuſus, in aures:
Nam ſolidae maſsae corpuſcula, ſunt minus apta,
Primitus impreſſos, ultro deſerre ſonores.
Atque etiam per aquam, ſonitum pervadere poſſe,
Urinatorum docet experientia conſtans.
Multus enim, ſpiramentis, includitur, undae,
Aër, ipſa ſonos deſert ſat elaſtica lympha.
Novimus illectos, jactata ſaepius eſca,
Piſces, ad notas, e ſundo emergere, voces.
Aëre, lympha minus cum ſit tamen apta, ſonori;
Hic

Hic quoque confusus, nostras defertur in aures.
Mobilitas porro, qua vox procedit in orbem,
Aut alius quivis sonus, intervalla locorum
Percurrit: par plane est, uniusque tenoris.
Sive soporiferis terram nox obruat umbris:
Seu sole insuso, redeant opera, atque labores:
Sive sit illustris, seu coeca vaporibus aura:
Seu gravis halitibus; seu nubibus horreat atris:
Seu constricta gelu sit; sive solutior aestu:
Seu nive conspergat terram; sive irriget imbre:
Intra tempus idem tamen, aut aequale; locorum
Par intervallum, pare mobilitate, peragrat.
Unde licet variat metas, ut diximus ante,
Longius aut brevius, sonitus provectus in orbem,
Pro vice diversa densae magis aut minus aurae:
In cursu tamen, atque in mobilitate, tenorem
Constanter ferme, servare notatur eundem:
Unum si excipias casum, quo concita ventis
Aura, sonos solito velocius auribus infert,
Versus eam partem, qua trudit spiritus Austri,
Aut alius quivis ventus vehementius instat.
Sed jam, quam velox sit itus reditusque Sonorum,
Est advertendum: res sane digna notatu.
Hinc etenim, poterit facile, intervalla locorum
Absque Geometrico, metiri quisque, quadrante;
Si modo, rite moris, sciat interpungere tempus,

 Quis

Quas vulgo ſuerunt vocitare, *minuta ſecunda.*
Nam quovis tali momento temporis, aequum
Decurrit ſonitus ſpatium; prout comprobat uſus,
Quem Phyſici detexerunt hac arte: locarunt
Eminus, inſtructum nitrato pulvere, maius
Tormentum, leucis geminis, ternisve remotum:
Tali intervallo tamen, ex quo poſſet in aures,
Tormenti fragor exploſi pervadere; & ignis
Ante ſonum effulgens, oculos perſtringere poſſet.
Tum ſtudio magno, momenta elapſa notarunt,
Flammam inter, primum viſam, auditumque fragorem,
Hoc detecta modo eſt ſonitus properatio: jamque
Compertum eſt hodie, per quaeque *minuta ſecunda,*
Nempe mora tanta, quanta unum intervenit inter
Atque alium pulſum venae, per nota micantis
Intervalla, Sonum ferme decurrere, centum
Supra mille pedes, aut ferme mille ducentos.

Hac methodo poteris certo cognoſcere, quantum
Horrida tempeſtas, tectaeque vaporibus irae
Abjunctae ſint, quando tonat caelum omne tumultu,
Eliſique ruunt coecis e nubibus ignes.
Fulguris ut primum conſpexeris eminus ignem,
Admoto digito, quoties arteria dextrae
Emicet, explora; numeraque attentius ictus
Venae, quod fuerint poſt viſum fulminis ignem,
Donec in arrectas, veniat fragor horridus, aures:

Atque

Atque pedum numerum, paulo quem diximus ante,
Adſtrue pro quovis pulſu; tum collige ſummam.
Haec collecta dabit, quantum ſit diſſita nubes,
Fulmineas ructans flammas. Hinc porro patebit,
Incutiantne tibi, minitantia murmura juſtos,
An potius vanos, contemnendosque timores?
Tali lege, lacus, freta, flumina magna, paludes,
Quod ſint lata pedes, non aegre noſcere poſſes,
Si modo cis latum flumen, ſtans ipſe, juberes,
Adverſa explodi tormentum in fluminis ora.
Ecce, ſed injicitur gravis hinc dubitatio, menti:
Qui, tanta levitate ſonus percurrere tractus
Immanes valeat, puncto prope temporis uno?
Exiguos globulos, quos farcit elaſtica virtus,
Ceu totidem fartas veſicas aëre, finge
In longam ſeriem juxta ſeſe eſſe locatos;
Sic tamen, ut tangant ſe: tum quem impreſſeris ictum,
Quemve gradum motus primo; poſtremus eundem
Protinus accipiet globulus; preſſusque, repellet
Vicinum tanta vi, quanta pulſus ab iſto eſt.
Hocque repercuſſu, ſeſe, ſociosque priori
Reſtituet ſitui: quotiesque iteraveris ictum,
Continuo toties, iterabit & ipſe repulſum.
Namque pari, globulus quivis, animatur elaſtro:
Hinc, quantum premitur, tantundem reprimit ictus.
Inde ſoni eſt adeo velox diffuſio. Quippe

Parti-

Particulae aëriae, bullae, sunt turgidae elastro:
Quas per idem spatium rapit huc, rapit impetus illuc,
Tamque diu pergunt prorsum retroque moveri,
Quoad reprimi cesset, quo distenduntur, elastrum.
Dum porro resonat corpus, vox fertur in orbem.
Nam bullae aëriae, pressu, in corpuscula plana
Plus, minus arctatae, partem nituntur in omnem,
Quo, se restituant situi, reparentque figuram
Amissam pressu: proin in latus omne repulsant;
Quave tremunt ipsae ratione, tremiscere cogunt
Vicinas omnes bullas; quoad impetus, ictu
Partibus incussus minimis, in mole sonora
Desinat, & moles quatefacta tremiscere cesset.
Hic dictis, aliquis diffidere coeptat, & inquit:
Hac ratione Sonus, si se diffundit in orbem;
Qui fit, ut ex variis, allapsi partibus, una
Tam varii sonitus; non confundantur in aure?
Quin etiam media, qui non perimuntur in aura?
Qui fit, ut occurrens iste huic, non obruat illum?
Saepe tamen, varie massis resonantibus, uno
Tempore; diversos sonitus discriminat auris.
Sed, cum congeries pene infinita sit aër
Bullarum, quae dispositae sunt undique rectis
Ordinibus: globulique notam quincuncis adumbrent
Apposite: non est, sonitus cur obruát unus
Parte ex arversa venientem. Quippe tot aurae

Exi-

Exiguae bullae, versus, radiique sonori
Volvere rite queunt discrimina mille Sonorum;
Quam bene ferre queunt discrimina mille tremorum.
Scilicet hic versus globulorum, suscipit istos;
Haec series vehit hos: vehit istos altera: & illos
Quarta: & sic porro. Sed, & auris nostra, sonoris
Mille receptandis variis impulsibus apta est.
Quippe capax satis: & sexcentis praedita fibris:
Quarum ope, diversa ratione tremiscere possit,
Tunc quoque, quando sonos bene multos corpora fundunt.
Adde, quod innumeri, nostras videantur in aures
Ire simul sonitus, pulsateque tympana junctis,
Qui tamen alternis vicibus, tantummodo pulsant.
At nequit aure hebeti, distantia parva, notari,
Qua celeres adeo succedunt ictibus ictus;
Mens tamen assequitur. Quapropter in aëre, & aure,
Nulla sequi debet sonitus confusio, donec,
Corporibus multis, circum resonantibus una,
Quisque, suum radius recipit, tribuitque tremorem.
Quin, si legitimo numero, tremor unius absit,
A radii alterius cujusque, tremore, sonori;
Seu, bene diffideant; discors concordia vocum
Hinc oritur: quam, concentum, modulosque Latini;
Chroma, vel harmoniam, Graeci dixere, melosque.
Sed neque conceptos, a mole sonante, tremores
Amittunt radii, licet hic contrarius illi,

Viri-

Viribus adverſis occurrat forte: decuſſant
Tunc etenim ſeſe tantum, retinentque tremorem.
Id, quod in exemplo, licet obſervare ſequenti.
Complures, in aquam ſtagnantem, ſparge lapillos:
Aut ſtagnum ſpecta, cui rarior impluit imber.
Quot guttae recidunt diſperſim, quotve lapilli:
Summa ſuperficies totidem crispatur in orbes:
Qui ſe intercidunt, quin orbis deſtruat orbem.
Si tamen adverſis, concurrant undique ſecum,
Viribus; & coeco depugnent marte, ſonori
Circum aurem radii: tremor hinc inconditus aures
Verberat: haecque ſoni eſt confuſio, ſive tumultus.
Illum praeterea nodum expediamus, oportet.
Cum, tam diverſa ſaliant ratione, minutae
Particulae molis, tremefactae verberis ictu;
Segnius hae ſaliunt, multo velocius illae:
Hae brevius ſpatium peragrant: at longius illae:
Non igitur poterunt aequali tempore, cuncti,
Par ſpatium peragrare Soni; ſed fortius icta,
Vividiusque tremens, reſonantis portio molis,
Fortius aërias partes impellet, agetque:
Altera dum contra, minus icta, minusque tremiſcens:
Segnius aërias partes urgebit, agetque:
Nec proin aequales adiget percurrere tractus,
Temporis aequali ſpatio. Tamen ante probatum eſt.
Infirmos, validosque Sonos, ſervare tenorem
AEqua-

AEqualem in cursu, (quod & experientia firmat)
Atque pari levitate, statas attingere metas.
Verum ut ut est impar compressio particularum
Aëris, in tremulos motus, a mole sonora
Compulsi: tamen aequali, compressio dispar,
Tempore perficitur: prout & diductio dispar.
Nimirum, compressa magis corpuscula, majus,
Prae minus arctatis, spatium percurrere debent:
Sed quia vi motus, longe majore feruntur:
Per majus spatium volitant, revolantque vicissim,
Cum minus arctatis, aequali tempore prorsus.
Id, quod in exemplo, manifeste cernimus isthoc.
Sume duos arcus, aequalis prorsus elastri:
Hunc intende minus: multo mage tende sed illum:
Atque ita contentos, signo dato, utrumque remitte.
Impariter tenti, pariter sese ambo retendent;
Amissamque, simul reparabunt ambo, figuram.
Hinc liquet, impariter compressos aëris artus,
Intra tempus idem, amissam reparare figuram.
Debilis hinc, validique Soni, discrimen habetur.
Nempe Sonum validum moles praegrandior edit,
Cujus particulas minimas, insignis elater
Intus agit. Talis siquidem vehementius icta
Moles, particulis minimis magis intremit; atque
Aërias partes, vibrando, fortius urget

Per ſpatium majus, validiſque tremoribus arctat:
Horrificis igitur complet mugitibus aures.
Auris enim fibris, infigitur altius ictus;
Acrius impulſis, & adactis partibus aurae.
Infirmum, contra, Sonitum quae corpora fundunt;
Aut minor illorum moles; minus aëris arctat:
Aut minus oſcillant corpuſcula ſegnius icta.
Scilicet infirmam, brevior vibratio, vocem
Exprimit: & validam, vibratio longior edit.
Unus, ad extremum, non unum ſcrupulus angit.
Qua ratione queant, ſolidae corpuſcula maſſae,
Nexu adeo firmo devincta, tremiſcere: quin ſe
Plurima diſſocient, divellanturque tremore?
Innumeras tenues, quovis in corpore firmo,
Concipe lamellas, e queis componitur iſtud,
Ceu liber e foliis: ſed ita, ut lamella ſit omnis
Flexilis ad pulſum: tum, ſi flectatur, ab ictu
Lamina prima; haec ſubjectas ſibi flectat oportet.
At quoniam multo ſunt omnes praeditae elaſtro;
Reflectent toties ſe: dum perimatur, ab ictu
Impetus impreſſus, quocum depugnat elaſtrum:
Ex lamellarum, alterno flexu, atque reflexu
Partibus in minimis maſſae, tremor exſter, oportet.
Hicque tremor, Sonus eſt, reſonante in corpore, ſuptus.
Nec vero exiguas partes, in mole ſonante,
Eſt opus alterno ſolvi flexu, atque reflexu.

Non

Non ſecus, ac virgae, multo turgentis elaſtro
Exiguae partes, minime ſolvuntur, ubi iſta
Incurvata, ſuam ſinitur reparare figuram;
Et permiſſa ſibi tremit, oſcillatque frequenter.
 At ſonus, offendit plerumque obſtacula, recti
Curſus, impingens diverſa in corpora circum,
E queis continuo. lucis reflectitur inſtar:
Scilicet, ut radii recta illiſi angulus, aequet
Angululum radii, poſt ictum, a mole reflexi.
Quippe, velut lucis radius, ſic phonicus inſtat:
Quamvis hic pigrius, longe velocius ille.
Ergo ubi, directum circumſita corpora, curſum
Aëris impediunt, reſonante a corpore pulſi:
Jlle quidem reſilit, (quod diximus ante) ſed ictu,
Haud, tremor impreſſus reſonante a corpore, ceſſat.
Nam, quoniam aëriae partes animantur elaſtro
Inſigni; multo pariter, ſunt praedita paſſim
Corpora, quae regerunt ſonitum; non deſinit, actus
Retrorſum ſonitus; ſi diſtendatur elaſtro
Oppoſitum corpus; vel ſi ſit durius iſtud:
Sed, quibus inciderat, reſilit prope viribus aequis.
 Quin etiam liquidae maſſae, tenueſque vapores,
Et folia, & frutices, & corpora quaeque minuta,
Jlliſos in ſe, ſonitus reflectere poſſunt
Aëriae ſiquidem laeves, nimiumque minutae
Cum ſint particulae: res ſenſilis obvia quaeque

Objicis inſtar erit: modo non ſit mollior aequo.
Sic, ubi converſo, tantiſper in aethera, rictu,
Exonerata nitro, boat aenea machina; nubes
Suſpenſae, horribilem duplicant, triplicantque fragorē.
Sic quoque, dum contra ſilvas, aeſtate, comatas,
Et contra virgulta, ſonum contentius ore
Fundimus; ille repercuſſus ferit acrius aures.
Ex dictis autem, cuivis deducere pronum eſt:
Cur inter montes, atque inter moenia, & aedes
Vividius reſonet vox; quam quocunque patente
Fuſa loco: nec enim hoc; valide at reflectitur illis,
Quae ſunt clauſa, locis: quod comprobat obvius uſus.
Non tamen aequali, regerunt, ratione Sonores,
Quique obices: ſed, verum queis eſt ſcabroſior aequo
Summa ſuperficies, diſpergunt: queis glabra, contra,
Summa ſuperficies, nil mutant pene tremorem.
Non ſecus, ac lumen, partem diſpergit in omnem
Aſperior: glabra maſſa pari ratione reflectit.
Denſius inde ſonos reflectunt, corpora glabra
Diſtinctoſque magis: confuſos, aſpera contra,
Atque minus denſos: at corpora mollia, nullos,
Aut paucos regerunt: quippe his extinguitur ictus,
Aut hebet infirmus. Quare, conclavia, templa
Mollibus aulaeis, vel ſtrata tapetibus intus;
Aut hominum numero, juſto majore, repleta;
Obſita pulveribus, perimunt, hebetantque Sonores.
Hinc

Hinc, methodo facili, centum problemata folves.
Cur extra conclave tuum, quandoque loquentes
Exaudire volens, patefacta forte feneſtra:
Rectius hos audis, probiusque intelligis, intro
Dum temet recipis; quam cum caput exeris extra?
Scilicet immiſſas, per luminis oſtia, voces,
Excipit oppoſitus paries, & colligit apte;
Inque tuas aures collectos rite refundit.

Hac cauſa, ex antris, vivacior, atque cavernis
Vox redit: haec etenim cogunt, regeruntque Sonores.

Inde, ſonare magis vetera inſtrumenta, notamus:
Nam pulſis, fuſiſque, aetate, vaporibus extra;
Pluribus interius, ſunt interciſa, cavernis;
Quae melius radios ſociant, regeruntque ſonores.

Hinc demum, validi ſonitus deprenditur auctus,
Quem tuba vocalis, leucam deportat ad unam,
Et quandoque duas; illa ſi rite loquaris.
Multiplici, ſiquidem, ratione reflectitur aër,
Actus in anguſtum, *divergentemque* canalem,
Propter elateris vires, inſigniter aptum
Ad reflectendos, exaugendoſque Sonores.
Namque tubae dictae extremo, commiſſa loquentis
Vox, primum tremulos in motus aëra vibrat.
Iſte, interna tubae latera, undique pulſat, & urget:
Aſt haec firma probe, vicibus pulſata repulſant.
Inde ſonus tantum, quantum reflexio creſcit.

Hoc-

Hocque magis, quod vox, intra conclusa canalem,
In nullum latus erumpit; verum integra, tantum
Pellitur antrorsum: proin fortior exit in auras.
Ex hoc fonte, Echus pariter deducitur ortus.
Quippe, repercussu sonitus producitur Echo:
Omnibus insultans, responsans omnibus Echo:
Nympha, Poëtarum figmentis, nobilis, Echo!
Nympha, celebrati Narcissi perdita amore:
Ludibrium vocum, moeroris victima, Nympha!
Nympha! merum guttur, mera vox, mera lingua, sonusve!
Sed sensu Physicae, nostrae mera vocis imago.
Manca subinde quidem; plena & perfecta subinde:
Et quandoque duplex: quin multiplicata frequenter.
Quantumcunque tamen levis haec replicetur imago:
Aëris illa repercussu, tantummodo consit:
Quo, vox acta retro, quem offendit, ab objice, nostras
Alternis vicibus ferit, atque reverberat aures.
Nec tamen est, sonitus reflexio quaelibet, apta
Ad conformandum simulacrum vocis in aure.
Luminis, ut quaevis reflexio, non satis apta est,
Ut speculo depicta, oculis videatur imago.
Inde, repercusso ut sonitu, formetur imago
Cujuscunque soni; glabra sint obstacula, vocem
Quae regerunt: saltem sit obex minus asper, oportet.
Imprimis igitur, sit obex minus asper, oportet:
Asper obex etenim radios dispergit (ut ante

Di-

Diximus) ac variat voces, variando tremorem.
Glabra ſuperficies, ratione reflectit eadem.
Ut vero, vox miſſa, retro referatur in aures
AEqualis ; ſimiles, opus eſt, praeſerre tremores
Aërias partes reduces, abeuntibus ante.
Porro ſuperficies obicis cava nonnihil, atque
Glabra probe, reliquis format diſtinctius Echum.
Quippe ſuperficies ſinuoſa, & concava, multos,
Illiſos ſparſim, radios coacervat in unum.
Inde lacunoſis, redit accuratior Echo
A ſaxis: claram pariter laquearia reddunt;
Et laeves maſſae, fabricatae fornicis inſtar.
Quod ſi plura, ſtatis ſpatiis, obſtacula, circum
Fornicis in morem, ſtent ſtructa, & laevia; vocem
Tot vicibus regerent, quot erunt cava corpora circū.
At niſi laeve cavum ſit, non geminabitur Echo.
Nec ſatis id: ſed adhaec, opus eſt, ut ab objice, certo
Intervallo abſit, ſonitum, quae percipit, auris.
Nam ſi noſtra auris, fuerit vicinior aequo
Objicibus dictis, Echum formare paratis:
Hanc obices equidem fingent, quacunque profuſa
Voce: ſed auditus minime obſervare valebit.
Quippe, repercuſſi venient radii ante, ſonori;
Quam tremor, ex ſonitu directo, ceſſet in aure.
Ergo tremore ſimul gemino, quaſſabitur auris.
Nam quatient una recti, quatientque reflexi

Aë-

Aërii radii: pulſuſque ſimillimus horum,
Pulſibus iſtorum cum ſit, diſcernere quinam
Hos auris poterit? Vox ergo putabitur una;
Eſſe tamen duplicem, vehementior arguet ictus.
Namque licet nequeant aures diſtinguere pulſus;
Se, tamen advertunt, multo tunc acrius ici.
Ut proin reflexam vocem, diſcriminet auris,
Percipiatque Echum duplicem, triplicemque; neceſſe eſt,
Ut certis ſpatiis, memorata obſtacula ſupra,
Auribus a noſtris obſint: quo ceſſet in illis
Interea tremor is, quem vox directa ciebat:
Tum redeant ſimiles pulſus, renoventque tremorem.
Ni proin, directi ſonitus impreſſio, ceſſet:
Noſtra, repercuſſam vocem, haud diſcriminat auris.
Quanta obicis porro, diſtantia debeat eſſe;
Plena, ut in aure tua, ſingatur vocis imago:
Certius hanc uſu diſces; quam legibus illis,
Quas Phyſici ſtatuunt: tanta eſt diſcordia legum!
Si ſibi ſuccedant, vocis ſimulacra reflexae
Plura: ut quodque venit prius, hoc ferit acrius aures.
Majus enim ſpatium abſolvunt, quae tardius adſunt.
Directi vero ſonitus, aeque atque reflexi,
Pro ratione loci minuuntur; ut ante monebam.
Nempe, Soni quantum, reſonante a mole, recedunt;
Tantum decreſcunt: quos in ratione quadrata

Inver-

Inversa ferme, quidam decrescere pugnant.
Non cunctis tamen, ista satis doctrina probatur.
Praeterea, quae nocte, cavis a rupibus, Echo
Redditur; esse solet multo vocalior, illa,
Quam regerunt eadem, fulgente, obstacula, Sole.
Quaeret adhaec aliquis, tremulae quae causa sit Echus?
Hanc folia efficiunt silvae, concussa tremore
Et venti, & sonitus: etenim dum libera pendent,
Aëris imprimis agitantur flamine: deinde
Incurrente sono directo; tota tremiscunt:
Hinc geminum regerunt, gemino concussa tremore.
Restat, ut harmoniae (mira dulcedine nostros
Quae levat angores) paucis mysteria pandam.
Cujus, ut ingenerem qualem qualem tibi formam;
Nosse, toni, sonitusque, probe discrimen, oportet.
Namque tonus, numerosa soni proportio quaedam est;
Qua se respiciunt celeres, tardique tremores
Aëris, haud temere; sed certa lege vibrati
Partibus a minimis tremefacti corporis, ictu
Non coeco; verum ex certo moderamine legum:
Scilicet ad numeros, tibi quos ars Musica pandet.
Quod si particulae tremefactae corpore in uno,
Absolvant tot prorsus itus, reditusque tot, intra
Tempus idem; quot itus, reditusque, in corpore quovis
Conficiunt alio corpuscula quassa: tenoris

Unius, auditus ſonitu complebitur. Unde
Ut ſonus harmonicus noſtras deliniat aures;
Certa lege tonos inter ſe jungere, oportet.
Duplex vero tonus: gravis alter, & alter acutus.
Crebrior hunc generat, generat ſed parcior illum,
Intra tempus idem, vibratio particularum,
Quae per idem ſpatium, prorſum retroque feruntur,
Organa, dum ſuaves adiguntur, muſica, cantus
Fundere, percuſſu, vel flatu concita docto.
Diſcrimen poteris tute ipſe notare tonorum
In chordis geminis: gravis eſt, quem tenſa refundit
Parcius oſcillans poſt ictum chorda: viciſſim
Crebrius oſcillans, quem chorda dat altera, juxta
Harmoniae leges; tonus iſte vocatur acutus.
Accipe inaequales chordas: ſit longior una
Duplo, alia: craſſae ſed ſint aequaliter ambae.
Has bene contentas, pariter ſi pollice pulſes:
Dum tremet una ſemel; vicibus tremet altera binis:
Ac ſemel oſcillans; oſcillans altera binis
Interea vicibus: pandent diſcrimen utraeque
Harmoniae, quam vulgo *octavam*, Muſica dicit.
Sume duas alias, quarum productior una,
Ad breviorem, habeat rationem, qua tria diſtant
A geminis numeris: brevior pulſata, Sonorem,
Quem vulgo *quintam* dicunt, tibi chorda refundet.

His,

His, aliisque tonis (octo discrimina quorum
Musica distinguit) certa ratione jugatis,
Editur omne melos: seu quod natura, per ora
Effundit volucrum; seu quod conflata per artem,
Et pulsata cate, dant instrumenta sonora.
Musica, proin cantum proportio fundit amoenum;
Qua si vox careat, sonus est inamoenus, & asper.
Scilicet in cunctis rebus, proportio, mentem,
Ordoque delectat: contra confusio vexat:
Apta, venustatem, variantia sensibus adfert:
AEqualis tenor, atque chaos, fastidia gignit.
Ast, utcunque tamen fuerint modulamina docta,
Blandaque: si justo titillent longius aures;
Obtundunt tandem sensum, mentemque fatigant.
Nam, quo plus animus fruitur re quaque caduca:
Hoc magis ex usu cognoscit, quam sit inanis:
Hoc magis agnoscit, nulla dulcedine fluxa
Posse immortales animos, mentesque beari,
AEternae votum dulcedinis, intus alentes.

PROGNOSTICA.

VANA ſuperſtitio, rudibus venerabile nomen
Aſtrologi, miſera cum conditione faceſſat!
Nec tempeſtatum poſthac prognoſtica jactet;
Quae ſatis, usque hodie, prope quaeque redarguit hora.
Nullo ſunt nexu cum tempeſtatibus aſtra
Vincta. Quid in terram valeant tam diſſita longe
Sidera, quae nudis oculis vix cernere poſſis?
Et quae reſplendent tantummodo luce reflexa?
Aëre cum noſtro quaenam communio tanta
Eſſe poteſt ſtellis; ut ab his praeſagia duci,
Anteque praedici bene longo tempore poſſit;
Quot, qualesque vices ſubitura ſit aura per annum?
Talibus auguriis res, & mens ſana repugnant.
Si ſunt cum ſtellis aurae commercia; cur non
Diſci-

Discimus ex terra pariter quid agatur in astris?
Terra tamen globus est errantis sideris instar.
Aëris instabilem faciem praenosse vicesque
Si vis; si pluvias, si ventos, sique procellas,
Et dubias aurae turbas, dubiosque favores
Praesagire cupis: sine multo errore licebit
Hac, *Torricellus*, quam nobis tradidit, arte.
Uno fine probe clausum, fine altero apertum
Sume tubum vitreum, gracilem, modiceque recurvum,
Sic, ut desinat in lacrymae globulive figuram.
Triginta digitis vitreus tubus altior esto.
Hunc vivo argento, quod depurgaveris, imple,
Aëriis bullis tubulo interiore fugatis,
Sic, ut nulla tubo pars sensilis aëris insit.
Imprimis vero cave, ne bulla aëris insit.
Hac in parte, tubum quae claudit fornicis instar.
Neu, cave, Mercurii venae pars aëris insit.
Aërias e Mercurio fugat antlia bullas:
Et tubulo vitreo calefacto, pellitur aër.
Hac ratione e Mercurio, tubuloque fugatis
Aëriis bullis; argentum infundito vivum.
Inter replendum, quoniam novus irruit aër:
Mercurio infuso calefactum immergito filum
Ferreum, & exagita argenti corpuscula vivi.
Eijcies bullas ita sensilis aëris omnes.
Parte dein tubulus vertatur hiante deorsum.

En

En tibi Mercurius ſine baſi penſilis haeret;
Viginti ſeptem digitos ſublatus in altum:
Aut prope vicenos octove, novemve, ſuprave!
Ac licet os tubuli pateat, gravitasque deorſum
Urgeat; argentum vivum non effluit extra.
Scilicet in patulum tubuli os, qui truditur aër
Totum Mercurii pondus, totamque columnam
Suſtinet appenſam; neu quidquam defluat, arcet.
Id quod in exemplo tentare ſequente licebit.
Ad labra ſumma ſcyphum reple quocunque liquore;
Impletum tegito charta; chartam apprime labris:
Suppoſita palma, terram convertito verſus
Os calicis tectum: tum ſenſim retrahe palmam
A calicis labris, cyatho non effluet unda.
Nempe liquoris onus, ſubjectus ſuſtinet aër.
Aëris hinc pondus cuivis deducere pronum eſt.
Reſpondens tubulo ſurſum porrecta columna
Aëria, ad ſpatium, cunctus quo deſinit aër,
Tantum nempe gravat; quantum ſuſpenſa columna
Mercurii, digitos vicenos circiter octo
Alta, tubo vitreo contenta. Hac proditur arte
Aëris ignotum pondus: cum pondere vero
Hac, tempeſtatum variatio, proditur arte.
Vatis & Aſtrologi tubus is tibi munus obibit,
Diverſasque vices melius praeſagiet aurae
Quam conjectores caeli praenoſcere poſſint.

Nil

Nil opus aſpectus aſtrorum noſcere velle;
Veſtigare domos, dominatum, ſignaque vana;
Ut tempeſtatum certa hinc prognoſtica diſcas.
Nusquam extra cerebrum nugas inveneris iſtas.
Ecquaenam iſta, malum! eſt acies praepoſtera mentis;
Cernere ſigna, polo toto diviſa ſoloque.
Immenſis ſpatiis abjunctas cernere cauſas?
Ante pedes poſitas, non poſſe, aut nolle videre?
Spectare effectus a cauſis pluribus annis
Avulſos; propriis cauſis non cernere junctos?
Non, vaſto caelo, longe lateque vagantem
Mercurium; ſed eum tubulus quem longus & arctus
Continet, obſerva: qualem deſcripſimus ante.
Iſtius aſcenſus, ibi, deſcenſusque notato,
Ille ubi vicenos ſupra ſeptemve vel octo,
Et quandoque novem digitos ſublime levatur.
Triginta digitis nunquam caput altius effert
Mercurius: nunquam ſeſe demittit ab alto
Infra vicenos digitos ſenosque: proinde
Quatuor in tubulo digitis abſolvitur omnis
Mercurii curſus: ſpatio quo cuncta notari
Signa ſolent tempeſtatum praenuntia caeli.
Tu proin lineolis aptis diſtinguito totum
Hoc ſpatium; quod Mercurius percurrit ab uno
Cardine ad oppoſitum, propria ſtatione notata
Pro vicibus queisvis, & tempeſtatibus aurae.

Pro

Pro nive, pro pluvia, pro ventis, atque procellis,
Pro caelo dubio, pro ſicco, proque ſereno.
Septem nempe notis, ceu tot ſtationibus, omne
Id ſpatium Phyſici, vulgo diſtinguere suerunt.
Plus aequo ſiccum praenuntiat aera, ſumma
Mercurii ſtatio: brumali tempore vero
Indicat acre gelu ſtatio ſuprema Secunda
Deſignat ſtatio terras conſtanter apricas.
Quarta notat dubium caelum; ſed tertia ſudum.
Aut pluviae, aut venti quinta eſt praenuntia. Sexta
Ingentem pluviam praenuntiat, Ultima vero
Brumae tempeſtate nives: aeſtate procellam.
Ergo, quod monui, ſpatium dispungito ſeptem
Lineolis, ſeptem pro tempeſtatibus aurae,
In tabula, tubulis in eum quae jungitur uſum,
Hae tibi lineolae tot erunt prognoſtica vera,
Mercuriique tui cyclus, & velut orbita quaedam.
(Scalam Mercurii Phyſici jam dicere suerunt:)
Inde ſecuturae pluviae, caelique ſereni:
Inde procellarum, venti, nivis inde, geluque
Augurium capies: nec erunt haec omina vana.
Hujus enim nexus in rebus idonea cauſa eſt:
Non toto disjuncta polo; ſed proxima noſtris
Senſibus, & vivi argenti vicina columnae.
Viginti ſeptem digitos aſſurgit in altum,
Plus minus, argenti vivi deſcripta columna:

Ut levior nunc; vel gravior modo redditur aër.
Fit vero gravior, caelo ſudo atque ſereno.
Namque ſuo gremio complectitur ille vapores
Tunc multos; tellus, quos nempe ſubacta per ignes
Caecos, aut Solis nimiis ardoribus uſta,
Exſpirat, ſurſum raptos virtute caloris.
Quippe ubi fermentat tellus calefacta; minutae
Abſiliunt partes, motu vehemente revulſae
A maſſis, quas terra ſua bene coxit in alvo.
Non ſecus, ac multus vapor e ferventibus ollis
Exilit, abſtractus maſſis, quaecunque coquuntur.
Cumque ſit effuſus per corpora quaelibet ignis;
Abſiliunt alio pariter de corpore quovis
Particulae tenues, ignis virtute revulſae;
(His Phyſici halituum nomenque dedere vaporum)
Inque ſuperficiem terrae eijciuntur: at iſthuc
Ejectas aliae, quas jugiter acrior urget
Vis fermentandi, cogit ſublimius ire.
Haud ſecus, atque ingens, equitum quem concitat agmen,
In patulo campo pulvis, licet aëre, multo
Sit gravior; tamen in nubes ſublime levatur.
Agminis a primo, qui ſcilicet ordine, pulvis
Exturbatur humo, tantisper in aëre pendet;
Pulvere donec eo, quem concitat ordo ſecundus
Pone ſequens equitum, magis eijciatur in auras.

Aut velut excussae, puerorum ludiora, bullae,
Quas conflare solent e spuma smegmatis, atque
Leni oris flatu, calamis emittere in auras;
Aëris auxilio nant & truduntur in altum.
Hac ratione aër vehit in sublime vapores;
Halituumque ingens ita vis se tollit in altum.
Innumerabilium bullarum scilicet agmen
Est vapor: halituumque pari corpuscula formâ
Praedita sunt. Tali siquidem, vitra optica, forma
Obiiciunt sparsos fervente liquore vapores.
Altius evecti porro vehementer elastrum
Aëris intendunt; premit inde potentius iste,
Mercuriumque tubo clausum sublimius effert.
Scilicet halituum certum genus auget elastrum
Aëris; & labefactat idem vis certa vaporum.
Inde liquet, qua, sublatus, ratione serenum
Mercurius caelum designet. Nempe vapores,
Totam dispersi longe lateque per auram
Cum sunt, in nubes nondum coguntur aquosas:
In quas ni coëant, nequeunt descendere. Quippe
Dispersos aër gravior vetat ire deorsum.
Non secus, atque ingens traps, parvi fluminis alveo
Mersa, petit fundum: fluitat concisa minutim.
Aut velut, immissus lapis indivisus in undas,
Illico descendit: natat in ramenta redactus.

Porro

Porro licet ſparſim tenuis vapor innatet aurae,
Iſtius ille tamen gravitatem inſigniter auget.
Halituum ſiquidem ſtillae, guttaeque vaporum
Attenuatae etiam, nativo pondere pollent.
Inſuper, aërium certus vapor auget elaſtrum.
Ut proin Mercurius tubulo ſuſpenſus in arcto,
Debeat attolli ſublimius, aëre ſudo.
Aſt ubi conſertum tenues denſantur in agmen
Halituum partes, tenuesque vaporis aquoſi;
Protinus obductum tegitur caligine caelum;
Incumbunt nubes aurae intolerabile pondus;
Subducit ſenſim ſeſe ſubjecta, ferendo
Aura impar oneri. Sed enim tenuiſſimus humor
Suffugiens ſenſus, ſtillatim pluribus horis
Ante cadit, donec nubes ſolvantur in imbris
Grandiculas guttas. Multum, ros praevius ille
Senſibili pluviae, de pondere detrahit aurae.
Inde prius ferme viginti quatuor horis
Mercurii concluſa tubo, & ſublata columna,
Quam pluat, aut ningat, ſeſe ſubmittit ab alto.
Quodque rei caput eſt: aër, ceu ſpongia cum ſit;
Combibit, evectos in nubes, ante vapores,
Quam veniant in conſpectum, aut vertantur in imbrem.
Nempe, velut lympham contrectans ſpongia ſummis
Labris, tota madet: ſic aër nubila lingens,
Subtus horizontem quandoque recondita noſtrum,

Totus ſaepe madet. Mador hic labeſactat elaſtrum
Aërii, in quo vis conſiſtit maxima, preſſus.
Aëris infracto preſſu, deſcendit, & imbrem
Indicat, interdum ventos, argentea lympha.
At quoniam venti varie ſpirare notantur;
Deprimit interdum ſeſe, reflantibus illis,
Mercurius: quandoque caput ſublimius effert.
Si venti ſpirent, tellurem verſus, ab alto;
Mercurium tubulo clauſum levat altius aër.
Aëre quippe ruente in tellurem impete magno,
Illius, in terram gravitatis preſſio, creſcit.
At contra, ventis ſurſum ſpirantibus; aër
Rareſit, multumque ſuo de pondere perdit;
Vi nempe, adverſa gravitati, pulſus in altum.
Quodſi lene fluant venti; conſtanter eandem
Mercurius retinet ſtationem: ſcilicet, iſthic
Aëriae, abſtractae per ventos, cuique columnae,
Altera ſuccedit, ſimili gravitate, columna;
Quae ſe Mercurii pariter cum pondere librat.
Viribus oppoſitis pugnantes denique venti
Aëra conſtipant: is Mercurium altius urget.
Interdum aërias rapiunt, tenuantque columnas,
Quin mox ſuccedant ſimiles: tunc pondere victor
Mercurius, levat aëriam recidendo columnam.
Porro Mercurius metas non ſervat easdem
Aſcenſus & deſcenſus, in queislibet oris;

Aſt variat; prout eſt certis regionibus aër
Rarior: & contra, certis eſt ſpiſſior. Inde
Hisce plagis mundi, quas torrida Zona perurit,
Nunquam ita, ut in noſtris, vivum ſublime levatur
Argentum: quoniam premit illic rarior aër.
Quo proin queisque plagis terrarum, eſt denſior aër,
Hoc mage Mercurius ſurſum vi truditur aurae.
Altius hinc caput in regnis Borealibus effert.
Nam quo quaeque magis terrae plaga vergit in Auſtrum,
Aut Boream; hoc aër denſus magis ambit eandem,
Inſiſtitque plagis ſublimior hiſce columna
Aëris; ovatam referat cum terra figuram;
Cui tamen in ſpeciem ſpherae ſe accommodat aër.
Hac cauſa, in noſtris etiam caput altius oris,
Mercurius tollit brumali frigore; quam, cum
Torrida maturis aeſtas flaveſcit ariſtis.
Scilicet hyberno fit tempore denſior aër,
Ac proin & gravior; multis opplentibus illum
Paſſim particulis nitroſis, atque ſalinis.
Aut inteſtino motu minus actus, in arctum
Cogitur; & quantum ſe denſat, pondere tantum
Praevalet. Aut quia tunc eſt purior; urget elaſtro
Mercurium valide: caput erigit altius iſte.
Saepe fit, ut recidat paucis inſigniter horis
Mercurius; paucisque ſubinde levetur in altum.
Curſus hic argenti vivi velocior aequo,

Non

Non duraturam designat temperiem aurae.
Lentius aut solito, si sese tollat in altum:
Aut pigrius solito, sese demittat ab alto
Temperiem caeli stabilem praedicere pergit:
Constantem pluviam, pigrius si decidat: ast, si
Ascendat pigrius: terras constanter apricas.
Jllud ad extremum, pro scalae Mercurii usu,
Adiecisse iuvat, memorique reponere mente.
Temporis exigui quoties impenderit imber;
Huius in hac scala nequicquam signa requires.
Profusura brevem pluviam non imbrica nubes,
Sensibili ratione, aurae non mutat elastrum;
Nec variat pondus. Manet ergo immota columna
Mercurii, nec tam parcum praenuntiat imbrem.
Plura tibi pandet de tempestatibus aurae,
Mercurii cursus studio maiore notatus.
Jam si Mercurii statio quandoque notetur
Consentire minus, cum tempestatibus aurae;
Scito, quod imprimis pondus denuntiet ille
Aëris: oblique vero praenuntiet aurae
Temperiem tantum; quantum cum pondere nempe,
Caeli temperies consentit, plusque minusque.
Porro sat exacte toto prope consonat anno;
Veris & Autumni si tantum exordia demas,
In queis temperies cum pondere dissidet aurae
Nonnihil, & fallunt stationes ante notatae.

Vere

Vere novo ſiquidem devincti frigore longo
Innumeri, laxante ſinum tellure, vapores
Jugiter erumpunt, quos terrae proximus aër
Excipit, & vultum mutat prope qualibet hora:
Nec tamen immutat pondus, quoad usque ſuperni
Preſſio ſalva manet, ſummique voluminis aurae;
Quae tunc Mercurio prope ſufficit una levando.
Tantum nempe valet tunc aura ſuperna premendo,
Propter elaſtri vim: cum contra proxima terrae
Aura parum valeat, vitiatum propter elaſtrum,
Caetera, ſignandis ſat tempeſtatibus aptum
Eſſe tubum *Torricelli*, docet obvius uſus.
Eſtque probabilior tanto praedictio vivi
Argenti, ſignis, e queis praeſagia captant
Aſtrologi; quanto nugis res ſeria praeſtat.
Eſt alium, *Torricelli* tubus aptus in uſum:
Jllius auxilio metiri quippe praealtos
Montes, & turres poteris, foſſasque profundas.
Mercurii ſiquidem, vitro concluſa, columna,
Quo magis aërias ſublime levatur in oras;
Hoc magis in tubulo ſeſe ſubmittere pergit.
Nec mirum: decreſcit enim tunc aëris illud
Stamen, Mercurii quod ſe cum ſtamine librat.
Aërio porro contracto ſtamine, tantum
De gravitate aër, quantum de ſtamine, perdit.
At contra, foſſas, ſi demergatur in altas,

Jugiter aëriae tanto plus additur illi,
Quae cum Mercurio certat gravitate, columnae;
Altius in terrae quanto defertur hiatum.
Porro tubus *Torricelli* dum fertur in altos
Montes, aut fossas altas; argenteus humor
Hac stabili ratione ultro citroque movetur.
Post primos sexagenos atque insuper unum
Pene pedes, superas elatus ad aëris oras,
Lineola sese *Parisina* deprimit una:
Et tanto spatio, fossas depressus ad imas,
Lineola pariter caput erigit altius una.
Sex decies geminosque pedes, dein actus in altum;
Lineola simili sese submittit ab alto:
Et contra, tanto spatio depressus ad ima,
Una lineola sese sublimius effert.
Atque ita porro, progressus ratione retenta;
Quam vulgo numerando, rudes doctique tenemus.
Sicque Geometrae partes; sic Auguris implet
Non male Mercurius, tubulo conclusus in arcto.
Sed tu ex Mercurii satius cursuque, situque,
Illius, in caelo qui sese torquet in orbem,
Tempestatum aurae prognostica noscere mavis;
Ac decus Astrologi, famamque ardentius ambis;
Pulcrumque occurrit prognostica tradere fastis:
Scribere ephemerides cum tempestatibus anni:
Et facere insignem specioso nomine quaestum.

En

En tibi, comprenſam tribus omnem legibus, artem!
Qua poſſis vates, qua poſſis magnus haberi.
Augur & Aſtrologus; licet haud aſpexeris aſtra;
Imo nec inter ſe diſcernere ſidera noris.
Imprimis, inſerturus prognoſtica faſtis
Id cave; ne referas aeſtate niveſve, geluve:
Neve pruinoſum pergas praedicere frigus:
Aut indurandas glaciali marmore lymphas,
Dum coquet arva Leo; campos dum Sirius uret.
Hyberno vero ne tempore, fulgura caeli:
Neu tonitru, neu fulmina, neu praedixeris aeſtum.
Caetera divines licet, ut tibi cunque libebit:
Aëriaſque vices vicibus concorditer anni
Coniectes; quales lapſis expertus es annis.
Si metuis, coniecturas ne eventa refellant;
Ambiguum caeli vultum praedicito verbis
Ambiguis: ritu, ſua, quali oracula quondam
Fatidici vates, idolaque fundere ſuerunt
Ut, quaeque acciderit tandem mutatio caeli,
Parte aliqua minimum, rebus praedictio conſtet:
Aut licet haud conſtet; ſaltem conſtare putetur:
Et quae non fuerint, poſſint praedicta videri.
Partibus his pluvias, illis praedicito ſudum:
Hic caelum in ventos, illic in nubila pronum:
Hic poſt ſudum imbres, alibi poſt nubila Phaebum.
Inde minas tempeſtatis, ſpes inde ſereni,

Hoc, similive modo prognostica caetera scribe.
I nunc, sique lubet, Personam sumito magni
Vatis, & Astrologi: nae talis habebere vulgo.
Rides! & vanam, quam trado, despicis artem?
Meque tibi censes lepidis illudere nugis?
Atqui, crede mihi, nihilo praestantior ars est,
Quae putat alternis vicibus regnare planetas,
Istorumque statum regnum docet ire per omnes.
Nunc regnare Jovem; modo Martem sceptra tenere:
Nunc dare Saturnum reliquis vult jura planetis.
Imperitare docet Venerem nunc omnibus unam.
Et modo Mercurium, modo Solem, denique Lunam.
Atque ex imperiis variis varia omina captat.
Esse salutares Veneris; Jovis esse salubres
Influxus: at Saturni, Martisque nocivos:
Jllius humificos; siccos istius at esse:
Mercurii & Solis varios; variosque Dianae.
Idque genus nugas, sexcentaque somnia garrit,
Audet quin etiam certos praedicere soles;
Omine felici, quibus est captura volucrum
Processura: quibus venatio fausta futura.
Non secus, atque feras volucresque immittere possent,
In silvas vacuas, errantia sidera caeli.
O magne Astrorum coniector, & optime Vates!
Te quocunque modo, seque aspicientibus astris,
In silvis vacuis volucrum, vacuisque ferarum

Fru-

Frustra avibus, frustraque feris tua retia pones.
In silvis plenis avium, plenisque ferarum,
Fauste avibus, fausteque feris tua retia pones,
Utcunque aspicient te sidera, seque ferasque.
Si modo tempestas, illas non cogat in antra.
Non caeli, sed caelati (quod Tullius inquit)
Argenti, pergunt rationem ducere Vates
Astrologique isti, qui tam vana omina captant.
Jam supra tetigi, quam putida, quam sit inanis
Ars, ex astrorum cursuque, situque, futuram
Temperiem annorum, quae se deducere posse,
Cunctorumque vices praedicere posse dierum
Fidit, & incautis nugas obtrudere pergit:
Ac sua tam fundit secure oracula; quam si
Credita quaeque forent sibimet mysteria caeli;
Atque ex concilio Divum reveniret in orbem.
Nil tamen illa minus, quam quae sibi cognita iactat,
Scire potest: quoniam nobis nulla apta supersunt
Argumenta, quibus fas sit cognoscere leges,
Queis aër noster, queisvis convertitur annis.
Nullus quippe subest nexus, communio nulla
Motibus astrorum, nostrae cum motibus aurae.
Motibus astrorum nihil est constantius: aurae
Motibus & vicibus nihil inconstantius. Astra
Conficiunt certos, certis decursibus orbes:
Legibus ignotis vicibusque revolvitur aër.

Post mille errores, post mille pericula facta,
Orbita cujusvis tandem detecta planetae est.
Nota est Saturni, Veneris jam est orbita nota:
Orbita nota Jovis, Martis conversio nota:
Cognita Mercurii, Solis quoque, cognita Lunae.
Post mille impensos, exantlatosque labores,
Aëris haud potuit retegi conversio nostri.
Respondet cyclus proprius cuiusque planetae
Cyclo alii simili: sed nescio num satis una
Temperies cum temperie consentiat anni.
Jam pede inoffenso, calles cujusque planetae,
Astronomi peragrant: eclipsim & caetera signant
Phaenomena astrorum, cursus, momenta, vicesque;
Conficiunt tabulas redituris orbibus aptas:
Inque sinu gaudent, tabulis bene cuncta quadrare.
Scripsit Ephemerides Physicorum industria longas,
Hoc si forte modo, certum deprendere posset
Circuitum maris aërii, certamque notare
Temperiem in certos annos: ast irritus omnis
Conatus cecidit: nec spes affulget, ut ante
Sit promptum nobis, uno vel pluribus annis
Temperiem nostri certo praenoscere caeli.
Quippe infinitis rationibus aërem oportet
Mutari, halituum causa, propterque vapores,
Quos bibit assiduo, ceu turgida spongia lymphas.
Propterea que vices, tantum non qualibet hora

Tot

Tot ſubit; ut conſtans docet experientia quemvis.
Scilicet, ut certa eſt, & res notiſſima cunctis,
Ex ſeſe immenſam halituum vim, vimque vaporum
Exſpirat tellus: exſpirant omnia terrae
Corpora; quaeque ſupra, ſubtusque latentia quae ſunt.
Exſpirantque lacus, mare, flumina quaeque, paludes.
Intus enim tellus alit ignes: corporaque ignis
Quaelibet intus agit; quem, longe, diximus ante,
Lateque effuſum: cuius virtute minutae
Jugiter abſiliunt partes, paſſimque per omnem
Aëra ſparguntur. Solis quoque ſervidus ardor
Vim levat halituum magnam, magnamque vaporum;
Ex tellure, mari, lacubusque; ex ſtirpibus, herbis:
Queis aër, ceu fermento ſatur, atque ſubactus,
Innumeros vultus, ut Protheus induit alter.
Jam tot diſſimiles atomos motu atque figura,
Aëris in vaſto commiſſas aequore ſecum,
Quas tempeſtates non eſt excire neceſſe?
His bene perpenſis, cuivis concludere pronum eſt:
Nos volvente anno minime praenoſcere poſſe,
Quot qualesque vices, ſubitura ſit aura, ſequente.
Si minus ex certo curſu, aſpectuque, ſituque,
Sideris errantis, poſſunt praeſagia duci
Temperiei anni, tempeſtatisque dierum:
Attamen ex iſtis, ſimul ex influxibus illis,
Queis agit in terram Saturnus, Jupiter & Mars:
Mer-

Mercuriusque, Venusque, & terrae proxima Luna,
Quid vetat, instant Astrologi, praediscere certam
Anni temperiem, tempestatesque futuras?
Sed, quid hic astrorum influxus? phantasma cerebri
Scilicet, & sine re, sine sensu, nomen inane.
Quonam etenim sensu; quanam, quaeso, arte notari,
Qua ratione potest? quaenam vis arguit illum?
In terramne suos effundunt usque vapores
Halitibus mixtos errantia sidera caelo?
Immenso a nobis spatio distantia nempe
Terramne halitibus subigunt? hisne aëra miscent?
His segeti exitium, pestemque animalibus afflant?
Sed, cedo, quaenam vis rapiat? quae dirigat? & quae
Urgeat halituum nebulas, nubesque vaporum,
Per spatium immensum, in terras, a mole planetae?
Quin sursum potius, versus sua centra, feruntur!
Námque constituunt corpus cuiusque planetae
Particulae, & si quae circumdant, aëris instar,
Sideris errantis sphaeram; nitantur, oportet,
Sideris in proprium centrum: prout omnia terrae
Istius in proprium gravitant corpuscula centrum;
Hoc ut pacto unam valeant componere sphaeram.
Certe particulae halituum, stillaeque vaporum,
Quas ignes caeci, Solis quas fervidus aestus,
E tellure levant, non unguem longius, ultra
Aërium liquidum excurrunt: ast aëris undis

Im-

Immerſae, nunc inferius, nunc altius innant;
Inque ſinum terrae, certa ſe lege reſundunt,
In nive, vel nebulis, in grandine, rore, vel imbre,
Sive alio quocunque modo denſentur in arctum.
Demus at effluviis, in terras usque profuſis,
Moliri effectus, aliena luce planetas
Fulgentes: Lunam, Venerem, Martemque, Jovemque.
Quae tandem ars? quisnam diſcernere ſenſus, amabo,
Eſt potis effluvium proprium cuiusque planetae?
Alvei ſuntne ſtati, queis manant effluvia ad nos;
Queisque coërcentur, ne confundantur in unum
Effluvium mixtum, & cunctis commune planetis?
Alvei, queis fas ſit proprios deprendere fontes?
Ecce ſed Aſtrologi Solis ſe luce tuentur.
Luminis auxilio Sol tot miracula patrat
In terra; quidni patrent bene multa planetae
Subſidio lucis? Verum quis neſciat, inter
Solares quantum radios, radiosque planetae
Alterius diſtet? tanta eſt diſtantia nempe
Inter eos, terrae a caelo diſtantia quanta eſt.
Hoccine, quo fulgent errantia ſidera, lumen
Tot vicibus ſubigit, tot tempeſtatibus auram?
Atqui reſplendent alieno lumine tantum.
Integer influxus proin Soli congruit uni.
Quippe nitent Solis reflexa luce planetae:
Luce adeo tenui, languenteque; ut illa videndis

Iſtis

Iſtis ſufficiat tantum; ſed idonea non ſit
In terra edendis aliis effectibus ullis.
Sane *Villeti* ſpeculo praeſtante coacti
Lunares radii, noſtros vix luce ferenda
Perſtringunt oculos. Nullum tamen elicit ignem
Vivida lux adeo: nullum quin imo calorem
Efficit hoc ſpatio, quo plurima lucida Lunae
Tela addenſantur, centrumque vibrantur in unum.
Hoc collecta tamen ſpeculo tenuiſſima Solis
Stamina, perpaucis momentis temporis, aurum
Fundunt, inque vitrum non longo tempore mutant:
Aurum; quod ternis horis vix ſolvitur igne.
Praeterea, ſi quid reflexa luce planetae
Efficiunt; fixis potiori nomine Stellis
Congruet influxus; propria nam luce curuſcant;
Vividiusque vibrant radios plerisque planetis.
Adde; planetarum e numero Solem eſſe remotum:
Hunc poſtquam caelo, noſter *Copernicus* ille,
Magnum apud Aſtronomos nomen, deiecit, & ipſo
In centro mundi magna cum laude locavit,
Confractis veterum caelis, cyclisque revulſis,
Et ſpiris, quos retrogradis poſuere planetis
Aſtronomi veteres, caeli ſiſtema tuentes
Nequicquam *Ptolomaee* tuum, quaqua arte valebant.
Eſto tamen locus in caelis, interque planetas
Soli; & is effectus bene multos edat, ut edit

In

In terra: quoniam tamen illius actio multis
Turbatur causis intervenientibus isthic:
Nil certi ex illo, de tempestatibus aurae,
De vicibus frugum, nobis praediscere pronum est.
Jam si ex Sole nihil, de tempestatibus aurae
Venturis, fas est longe praenoscere cuiquam:
Fas erit ex aliis quanto minus ergo planetis?
Sed quid ego multis contendo refellere nugas?
Quod temere adstruitur, bene voce refellitur una.
Nil proin Astrologos moror: at nego, pernego, quidquam
Ex stellis sciri de tempestatibus aurae.
Verum alio festinantem morosior aequo
Astrologus lepida ratione moratur, & inquit:
Nulla capi ex astris pluvii praesagia caeli,
Nulla serenandi contendis posse? quid ergo
Hic sibi versiculus vult, quem experientia firmat:
Pallida luna pluit, rubicunda flat, alba serenat?
Luna tamen sidus, reliquisque illustrius astrum est:
Luna vices subiens, vicibusque obnoxia reddens
Corpora terrena; ut doctique, rudesque notarunt.
Queis tamen influxum rationibus ante negavi
Sideribus reliquis; his ipsis derogo Lunae.
Nec praejudicium de Lunae influxibus, alte
Mentibus insculptum vulgi, quidquam facit: istud
Quippe argumentis adductis cedat, oportet.

Non pingunt faciem lunae pallorve, ruborve,
Queis per se tempestates praenuntiet ista;
Sed vapor, in pluvias jam jam qui cogitur, & qui
Absorbet multos radios, multosque refringit,
Mentitur vultum pallentem, sive rubentem
Lunae: candentem, quem purior exhibet aër.
Ista nec Astrologi sibi signa adsciscere possunt;
Quae tempestatis sunt argumenta propinquae.
Tempestatum illi sibi cognita signa remota,
Non horis aliquot; sed cognita pluribus annis,
Ante suum eventum, jactant ex legibus artis.
Rectius ista voces prognostica rustica; quorum
Comperimus nexus cum tempestatibus aptos:
Sed qui interventu causarum mille resolvi
Possint: queis animus nequeat confidere tuto.
Talibus indiciis, si praesagire propinquas
Vis tempestates; licet haud certissima prorsus
Signa tibi, sed nixa gravi ratione, sed apta,
Ex veris causis, devinctaque nexibus aptis,
Expromam pluvii caeli: dabo signa sereni;
Ventorumque dabo: dabo denique signa procellae;
Non equidem a rebus distantia tempore longo:
Sed tempestatis dabo signa propinqua futurae,
Quae tamen adducam prognostica, pleraque, scito,
Non ultra conjecturas assurgere posse.
Quippe novae causae, quibus est obnoxius aër,

Im-

Improviſo intercurſu, jam jamque minantis
Diſpoſitum tempeſtatis, verſo ordine, poſſunt,
Quod paulo ſupra tetigi, mutare repente,
Inque modos alios aurae convertere vultum.
Montis in excelſo glomerata cacumine nubes,
Longius inſiſtens apici praenuntiat imbrem.
Nam notat adduci, coacervarique vapores
Solvendos radiis Solis, vel flamine Venti
In pluvias; aut halituum ſubigente calore.
Scilicet, ut tenues ſpumae per fluminis alveum
Quae ſparſim fluitant, paſſim ſine lege vagantur:
Nec ſeſe glomerant in fluminis agmine, donec
Grandius offendant exſtans ex flumine ſaxum;
Cui demum alliſae, cumulum glomerantur in unum.
Sic aurae innantes, tenues, ſparſique vapores,
Montibus impacti nubem coguntur in unam.
Monte ſedent nebulae, vertex fumare videtur;
Innumerae halituum bullae, bullaeque vaporum,
Folliculorum inſtar tenſae, & tenui cute cinctae,
Amplius accumulant ſeſe: tum flamine venti
Concuſſae, aut radiis ſolaribus acrius ictae,
Rumpuntur, rumpuntque alias; ruit imber ab alto.
Saepe tamen pluvias nubes, in monte coactas,
Diſſipat, ac differt ventus vehementior ortus.
Saepe, ſine auxilio venti, de vertice montis
In vallem recidunt, gravitate urgente, vapores,

Dum ſeſe nimium ſtipant, frigusque coactos
Adſtringit. Sic impendens avertitur imber.
Quare, deciduae ſummo de vertice montis,
In vallem nebulae, caeli ſunt ſigna ſereni.
Nec ſolum nebulis cooperta cacumina montum,
Indicium pluvii ſunt caeli; aſt ſi quoque planam
Tellurem caligo operit, fulgenteque Sole,
Iſtius radiis diſcuſſa levetur in auras;
Non male conjicies, quod proximus ingruat imber.
Elatae halituum guttae, ſtillaeque vaporum,
Atque frequentatis radiorum pulſibus ictae,
Rumpuntur, ruptaeque cadunt, rumpuntque cadendo
Subjectas: ſtillae ſtillis ſociantur, & imbrem
Senſibilem formant. Sic e caligine ſurſum
Subvecta exiſtunt nubes: e nubibus imber.
Qui tamen averti poterit ſurgentibus Auſtris,
Aut alio quovis vento ſpirante, retrudi
Vicinos in agros: vel quoquoverſus in auras
Difflari, atque iterum in tenues migrare vapores:
Id quod de nebulis in monte ſedentibus, ante
Diximus. Et facies naſcentis pallida Solis,
Pallida item Solis morientis, denotat imbres.
Quippe coire notat, coacervarique vapores,
Qui, radiis interceptis, palleſcere Phaebum
Aſſimulant: licet ille ſuo fulgore coruſcet
Jugiter: at crebro terrae vapor eripit illum

Parte,

Parte, vel ex toto: quem ſi tantummodo parte
Eripiat; Phaebi vultus pallere videtur.
Nempe velut noſtros, cum rarior humor in artus
Affluit, exſuccae partes flaveſcere pergunt.
Saepe fit, ut noctu, nitide rutilantibus aſtris,
Subducant oculis ſe lumina cuncta repente;
Cuncta, dato veluti ſigno, reſtincta putares:
Quae ſubita aſtrorum pluvias extinctio ſignat.
Nempe, vapor coiens caeleſtes eripit ignes,
Qui ſeſe in nubes glomerans erumpet in imbrem.
Vividius radios, tremulo vibrantia motu,
Sidera per noctem, numeroque micantia parvo,
Atque novi circi, cingentes undique, ſtellas.
Signa ſecuturae pluviae, non vana putantur.
Halitibus fetam, gravidamque vaporibus auram
Indigitant etenim: pluviis fons unde paratur.
AEgrius aſſurgens, flammis crepitantibus, ignis,
Aut ſuper injectam disjectans ſaepe favillam,
Spiſſius eructans fumos gula ſumma camini,
Aut iſtos regerens os verſus, quo haurit eoſdem,
Apta ſatis pluviae ſunt argumenta futurae.
Humiſeris etenim deſignant aëra fetum
Particulis, in quas incurrens concrepat ignis,
Diſrumpens vapidas ſtillas virtute caloris.
Et glomerans fumus ſeſe intra ſepta camini,
Nititur, halitibus craſſisque vaporibus aurae

Op-

Oppletum callem, volucri pervadere curſu;
Obluctanſque diu, partim glomeratus in altum
Erumpit: partim retro ruit actus in ignem,
Atque focum circum ſeſe diffundit in orbem.
Vicinae pluviae lacrymantia marmora ſignum,
Saxaque cana ſalis, ſudore madentia, ſunto.
Auram ſignificant haec quippe vapore refertam,
Marmora, quae paſſim, ſaliumque volumina, lambens,
Trudit in anguſtos lapidum ſaliumque meatus,
Halituum graciles ſtillas, tenuemque madorem,
Trudit & in ligni fibras coecoſque canales.
Inde crepare fores pluvia impendente notamus.
Corpora quot demum flacceſcere, quotve tumere,
Quot ſudare ſolent, quot ſeſe contrahere uda;
Ut chordae, & funes, fibras ſubeunte vapore:
Omina ſunt totidem pluviae non vana futurae.
Accipere ex brutis animantibus omina quaedam
Fas pariter pluvii caeli: acri haec praedita ſenſu
Crebra ſecuturae pluviae prognoſtica promunt.
Scilicet in pluvias ſenſim diſponitur aër,
Inque nives, ſenſim inque gelu, ſenſim inque procellas.
Ex quo diſpoſitu, diſcunt animantia acutis
Senſibus, adferri ſibi quaedam commoda, gaudentque:
Et quandoque dari nonnulla incommoda lugent.
Inde voluptatis dant, vel dant ſigna doloris:
Aut alio ſigno ferri ſibi commoda produnt;

Aut

Aut importari produnt incommoda ſigno.
Sic prope tellurem volitando frequenter hirundo,
Et ſulcando lacus alis, praenuntiat imbrem
Scilicet in ſudo ſublimius ante volantes,
Humidus innumeras muſcas tunc deprimit aër,
Et prope tellurem, prope lymphas, cogit in agmen:
Quas ſubmiſſa volans, dapem amatam, captat hirundo.
Sic etiam amphibiae volucres ſtudioſius alas,
Et reliquas pennas roſtris detergere pergunt:
Sive, quod abſtracta, pennarum a caulibus, ungant
Exterius plumas certa pinguedine: quo ſic
Prona per imbutas pennas aqua defluat imbris:
Sive, quod abſtergant ſua ſiccis humida roſtra
Plumis, & terſis roſtris, a pulvere purgent
Exterius pennas, ne forſan adhaereat imber:
Sive ſalutari demum, qui praevenit imbrem,
Nec cadit in noſtros ſenſus, ſe rore perungant.
Huncce ſalutarem forſan quoque lambere rorem,
Ante ſecuturas pluvias, feleſque, boveſque
Suerunt; quando pilum contra ſe lambere pergunt.
Quo magis exigua ſunt mole animantia quaedam,
Hoc magis exſuperant animalia caetera ſenſu:
Hocque magis ſudi & pluviae praeſaga videntur.
In pluviam caelo prono, intra ſepta domorum,
Melliflue remorantur apes: non elicit inde
Mellis amor cautas, non cerae cura legendae,

Non

Non praedae ſtudium. Quas vero longius ardor
Detulit imprudens; repetunt alvearia promptae.
Scilicet ad ceras, ad mella, ſavoſque legendos
Obſeptos calles cernunt, coeunte vapore:
Inde domi latitant, donec lux aurea ſolis
Emicet, ac caelum vultu conſpiret amoeno.
Quippe humore madens, multas in floribus, aër
Deponit ſtillas, queis unques, cruſcula, villi
Humectantur apum, quibus illae figere ceras
Suerunt. Praeterea ceras, quas ante liquarunt
Solares radii, durat ros praevius imbri
In florum foliis, & mel plus diluit aequo:
Sic praedas fruſtratur apum, prohibetque labores.
Pulicum ab infeſtis capimus quoque morſibus, omen
Non vanum pluviae, dum ſolibus aeſtuat aura.
Humidus inſtantes pluvias qui ſcilicet aër
Praevenit, & paſſim noſtrae cutis extima lambit,
Depoſita in noſtro ſalium corpuſcula ſolvit
Corpore: quod ſalſus carnis ſatis indicat humor.
Spicula porro ſalis liquidi, per corpora noſtra
Pulicibus paſſim reptantibus, acrius inſtant;
Hinc ſale mordaci pulex compunctus, & ipſe
Pungit, & in noſtrae dentes cutis intima mergit:
Nempe levamentum quaerens in ſanguine dulci.
Multa dedi pluvii caeli, dabo pauca ſereni
Signa tibi: diſces uſu, ſi plura requiris.

Si-

Signari, Solis radiis pallentibus, imbrem
Admonui: radiis rutilantibus, addo ſerenum:
Si Sol nempe oriens, oculis ardentibus auro
Aſpiciat terras, oculisque ardentibus auro,
Reſpiciat moriens; renitebit terra priore, &
Poſteriore die, vultu peramoena ſereno.
Talis enim aſpectus Solis, vibratio talis
Luminis, in terram craſſos recidiſſe vapores
Indicat, atque auram vultum ſumpsiſſe ſerenum;
Vultum, qui non ſit cito tempeſtate lutandus.
Vallibus immerſae nebulae, caeloque cadentes,
Emunctae craſſis ſunt ſigna vaporibus aurae.
Inde ſerenandi non ſunt vana omina caeli.
Altius, aeſtivo ſubvectae tempore, nubes,
Conſpicuum quamvis obducunt undique caelum,
Deciduisque polo guttis majoribus imbrem
Oſtentent riguum, non eſt tamen ille timendus.
Si pluerit; minime diuturnus habebitur imber.
Uberibus fetae pluviis aſcendere nempe
Altius haud poſſunt nubes, gravitate vetante.
Aëris halituum puri, vacuique vaporum,
Indicium pariter ſunt ignis lenius ardens,
Et placide flammas jaciens ſtuppa ebria ſebo.
Si caelum nubes obducant velleris inſtar,
Plumarumque inſtar, non decidet imber ab alto;

Ni raras ventus coacervet in agmen aquosum.
Largius interdum per noctem argenteus humor
Irrigat, effusis redolentes floribus, herbas.
Arboreae frondes passim lacrymantur & herbae,
Risurumque monent effuso lumine caelum.
Scilicet in terram signant recidisse vapores;
Ac proin exhaustos fontes, laticesque pluendi.
Mensibus autumni volitare per aëra floccos
Si videas albos, soles instare serenos
Gaude; portendunt insigniter aëra siccum.
Si namque humificis oneratus partibus esset
Aër: villosos coalescere fila nequirent
In floccos: villos flaccescere cogeret humor.
Ventorum deinceps aliquot prognostica promam.
Mensibus aestivis, autumno, & tempore Veris
Si nox praecedat sudo subfrigida caelo,
Ardentemque auro faciem Sol explicet orbi;
Mollior aut gravior ventus consurgat, oportet.
Sol etenim radiis ardentibus, aëra noctis
Frigore densatum dilatat, & explicat illum,
Cui primum immergit radios; vicinior autem
Frigidus & densus magis, undique confluit illo,
Qua calefacta levis patet aura, minusque resistens.
Aëris est vero fluxus tantummodo Ventus.
Crebrius excussae caelo, ceu sidera, flammae
Per noctem, surrecturi sunt omina venti.

Aëra

Aëra commotum quippe in regione superna
Significant, crebrique movent hunc amplius ignes;
Illius expandunt, agitant, turbantque volumen.
Mirum etenim quantum flammis expanditur aër.
Id, quod quemque docent incendia moesta domorum:
Cum quibus exortis ventus consuevit oriri.
Hac pariter causa comitantur fulmina venti.
Qui flat in Europe terras, propulsus ab ortu
Ventus, agit secum siccos plerumque vapores.
Majus enim supra terram, supra mare longe
Emetitur iter brevius, qui spirat ab ortu:
Ventus ab occasu nostras qui spirat in oras,
Plerumque Oceani solet esse vaporibus udus.
Quippe supra terram brevius, supra mare longum
Emetitur iter: vehit udos inde vapores.
Scilicet, immensus terrarum tractus in ortum
Porrigitur nobis: a Solis vespere vero,
Oceanus nostris vastissimus objacet oris.
Aëre tranquillo terram labente, frequenter
Auditur nemorum murmur, quidamque susurrus.
Nuntiat hic pariter ventos incumbere terris.
Nota procellarum cunctis prognostica, nubes
Sunt piceae, rubeo saturae viridique colore.
Sulphureis siquidem setae, pariterque nitrosis
Halitibus cum sint, circum tristissima vectant
Pabula flammarum, queis tela facesque vibrantur.

 Cer-

Cernimus interdum crebras erumpere bullas,
Aëre sat placido, passim ex stagnantibus undis.
Omen id est pluviae, cum tempestate, futurae.
Quippe emergentes bullae stagnantibus undis,
Secum intestino, signant confligere bello,
Halituum fumos, tenui cum rore vaporum;
Proin erupturos manifesta in praelia. & iras,
In tonitru, nimbos, in ventos, inque procellas.
Certius, in pelago norunt distinguere nautae,
Multiplicis tempestatis tristissima signa.
Indicium Ecnephiae novere, *Tubaeque marinae*,
Presterisque feri signum lacrymabile noscunt.
Admonitu quorum, se contra turbinis iras,
Certaque naufragii, mortisque pericula certa,
Temporius, quaqua possunt ratione, tuentur.
Illis Ecnephiam nubecula nuntiat atra,
Quam vulgo suerunt *oculum* vocitare *bovinum*,
Ob molem exiguam, qua primum visa profundo,
Juglandis speciem vix exaequare videtur:
Sed se continuo nubem diffundit in amplam;
Quae totam classem tenebris involvere possit;
Possit & in scopulos, caecasque illidere Syrtes;
Inque maris fundum depressam mergere possit.
Nam *bovis* iste *oculus*, quamprimum fascinat aequor,
Protinus Oceanus, fundo commotus ab imo,
Attollit sese, nubesque assurgit ad ipsas;

Atque

Atque furens montes immenſos volvit aquarum:
Mons ſupra montem magno ruit impete, & ictu
Horribilem auditu ſonitum dat, datque fragorem.
Ilicet hoc monſtro viſo, quae forte legebat
Littora, vel portum tenuit, committitur alto
Tutius a nautis claſſis; ne certa procella
Rupibus afflictam laceret, mergatve profundo.
Torvus is, atque minax *oculus bovis*, emicat una
Rupibus ex illis, queis nomen *Spes bona* fecit;
Indeque deſpectat ſulcantes aequora naves;
Inque minus cautas ruit impete, fulminis inſtar,
Et totum ſubito montem, claſſemque procella
Involvit. Luſitanam ſic obruit olim *
Ex improviſo claſſem, nil tale timentem,
Momentoque, maris fundum depreſſit ad imum,
Quatuor ingentes cercuros, milite ſetos,
Disjectis aliis, quoquo furor aequoris egit.
Jam tempeſtatis, quam fert *Tuba* dicta *marina*,
Nubifer, eſt index, conus revolutus in orbem,
Qui pedibus caelum, pelagus qui vertice verrit.
Conus is e geminis ventis vehementibus exſtat,
Frontibus adverſis ſecum pugnantibus: iſti
Halitibus rabidas, riguasque vaporibus, urgent
Contra

* A 1500. *Id genus tempeſtas Luſitanam claſſem disjecit, momento pene temporis quatuor grandibus navibus depreſſis.* Maffejus Hiſtoriar: Indicar: lib: 2.

Contra se nubes, densantque volumen in arctum.
Cum vero neuter vinci seu vincere possit,
Nubifer in gyros vortex agitetur, oportet.
Non secus, ac gemini, luctantes viribus aequis,
Forte viri; neuter neutrum prosternere pollens,
In gyros pergunt se contorquere frequentes.
Est porro cavus is conus, spirisque retortus.
Hinc, si corripiat navem sibi forte propinquam,
Abripit in gyros secum, spirisque retortam,
In sublime levat, dictu mirabile, pondus:
Indeque subjectas, vi summa, affligit ad undas.
Non minus ac vortex nobis notissimus aurae,
Qua se cunque infert, qua verrit vertice terram;
Et folia, & stipulas, multamque attollit arenam;
Haecque, ubi jactavit temere, deturbat ab alto.
Conus is interdum, totum, quod torsit in orbem,
Dejicit in navem densarum pondus aquarum;
Pondereque immenso depressam mergit in alto.
Denique, si vasta naves absorbeat alvo
Haec Tuba feralis; non est spes ulla salutis.
Si tamen immani rictu nondum tuba naves
Sorbuit; hanc contra, pyrio tormenta repleta
Pulvere, & infestis jaculis, explodere pergunt:
Quo sic nempe cavum valeant disrumpere conum.
Jlicet explosis praecautis rumpitur hastis
Terribilis tuba: de caelo cadit arduus undae
Impe-

Impetus, ac totus conus ruit actus in aequor.
Quaeque necem cecinit, subito tuba fracta silescit.
Exultant nautae, sese praesente periclo
Naufragii ereptos, pelagoque feruntur ovantes.
Presteris demum, vortex est flammeus, omen:
Triste, quod avertant Superi, a mortalibus, omen!
Flammiferis quippe est nubes onerata sagittis,
Quidquid contigerint, incendere & urere natis.
Haec ubi corripitur flammis furialibus; ignes
Evomit in pelagus: flagrat aër, flagrat & unda.
Flammam indignatus furit implacabilis aër;
Injectasque faces jactat furibundus in orbem.
Quodsi Presteris Vulcania machina in ignes
Ante resolvantur, pelagi quam sorbeat undas;
Immugit caelum tonitru, reboatque fragore:
Exonerata simul centum tormenta putares,
Milleque fulmineas excussas aethere flammas.
Plura procellarum pelagi, te signa docebunt
Nautae; tu studio, in terra plura ipse notabis,
Et nexus aptam satages adducere causam.
Talibus indiciis fas est eventa notare,
Divinare licet, fas praecantare futura;
In quibus effulget causarum aptissimus ordo.
Ex hoc vero DEI claret Sapientia, claret
Et Bonitas; qui signa, quibus res nexuit apte,
Noscere dat nostros, pecudum dat noscere in usus:
Queis

Queis homines moniti, monitae pecudesque, feraeque,
Mature sibi prospiciant, & certa propulsent
Damna suae vitae; procurent commoda certa.
Hisce notis signisque DEUS providit abunde
Servandis hominum rebus, damnisque cavendis,
Curandisque bonis nostris, vitaeque tuendae.
Ast homines minime contenti his, nosse futura,
Quae nil nosse juvat, cupiunt: quae nosse negatur.
Nosse volunt; quae nosse nefas: quae cognita pacem
Turbarent animi: sibi quae noscenda reliquit
Ipse Gubernator summus caelique, solique:
Assumuntque notas, assumunt omina vana,
Signa futurorum, quae caeca cupido sciendi,
Non quae summa DEI posuit Saqientia, sumunt.
Queis sacra Relligio, Ratio queis sana, reclamat:
Signa, quibus cum rebus, inest proportio nulla:
Nullus prorsus inest nexus, cognatio nulla:
Signa, quibus stolide conjunctam stulta libido
Felicem sortem vellet, sortemve sinistram.
Nil tamen his minus est; quam quod junctum esse putatur,
Sed dant stultitiae poenas, qui talia captant.
Spe quippe impulsi, bona non ventura sequentes,
Impulsique metu, mala non ventura caventes,
Ritu Ixioneo, noctuque diuque, rotantur.
Talia, si sapies, contemnes omina: ni te
Excruciare cupis male sana speque metuque;
Ni cupis esse DEO, tibimetque injurius ipsi.

Insi-

Infinite DEUS! DEUS Optime, Maxime! mundum
Qui regis, & ſummas, minimasque perinde, gubernas
Res hominum! cujus nutu ſors volvitur omnis!
Rebus in obſcuris, quarum mihi ſigna negaſti:
Rebus in ambiguis, quarum Sapientia ſumma,
Conſilio, eventum ſortemque recondidit alto;
Nulla meae ſortis venturae ſigna requiram.
Pro ſignis infinitis, Sapientia ſumma,
Summa mihi Bonitas erit, atque Potentia ſumma:
Summaque erit Pietas tua, qua me, & cuncta gubernas,
Et mihi vis melius, quam poſſim velle mihi ipſe.
Nam quae tu ſtatuis, quae tu diſponis, oportet,
Ut Bonitate tua Sapientipotente regantur.
Quae me cunque manet tandem Sors, quam tua ſumma
Diſpoſuit Bonitas: totum ſi me tibi credo,
Et tui ab arbitrii totus ſi pendeo nutu,
Eſſe miſer nequeo! Tibi ſe permittere totum,
Summa eſt proſperitas: obſiſtere, ſumma malorum eſt.
In manibus proin pono tuis ſortesque vicesque;
Inque tuo, DEUS, opto ſinu requieſcere plene.
Res ita, prout modo ſunt, mihi vel ſecus eſſe, perinde eſt;
Dummodo ſint, ut eas vis eſſe, o! ſumma Poteſtas!

FIGURA TERRAE.

EN! momenta, quibus, tellus, globus esse probatur!
Scilicet est arcus, seu curvatura, sinusque,
Exstima telluris majuscula portio quaeque.
Nam simul, ac Boream, aut, versus processeris Austrum;
Mox supra horizontem nova surgere sidera cernes.
Hucque gradus ubi quindenos, aut veneris illuc;
Una hora citius Solis miraberis ortum.
Hora itidem advertes citius consurgere Phoebum,
Si ter quinque gradus versus peragraveris Ortum;
Et tot in Occasum confectis; tardius hora.
Huc duplum spatium, vel ubi confeceris illuc;
Sive triplum, quadruplumve voles; totidem tibi prorsus
Serius, aut citius Sol surget, & occidet horis.
Insuper ad Boream si longius iveris; Austrum
Side-

Sidera quae recta ſpectant, occumbere, condi:
Attolli vero, Boream ſpectantia, cernes.
Eveniet contra, ſi progrediaris in Auſtrum;
Hoc magis alterutrum, quo huc, aut mage flexeris illuc;
Dum polus alteruter ſupra caput aſtet eunti.
Ex his phoenomenis terram conclude rotundam;
Quae non acciderent, ſi non ſphaeram illa referret.
Pone ſuperficiem planam telluris ubique,
Jllaque ſit tabulae, menſaeque aequabilis inſtar:
Omnibus, hocce ſitis populis, ſuper aequore vaſto,
Una erit hora ortus: aeque polus omnibus altus.
Nec, quamvis aliam terrae tribuendo figuram,
Eſſe queunt, quae mox retuli, memoraboque, ſalva.
Scilicet: ex Urbis portu, dum navis in altum
Longius avehitur, quoquo dein illa feratur,
Patrius imprimis portus ſubducitur, horum
Ex oculis, auſi qui ſunt, ſe credere ponto:
Poſt, Urbis muri; domuum faſtigia deinde;
Demum apices, queis deſpiciunt ſua moenia, turres.
Contra, ubi longinquis peregrina remigrat ab oris
In Patriam ratis, aut quamvis appellit ad urbem,
Se primum, turrita domum faſtigia, praebent
Aſpicienda, dein muri, tum denique portus
Nec ſecus, ex portu mare contemplantibus, offert
Se primum, navis venientis, apluſtre videndum:
Tum, velut ex pelago ſimulat ſe emergere navis:

Aſt abiens peregre, ſenſim ſe mergere fingit.
Sic quoque, dum vaſtum terrae percurrimus aequor,
Jllius imprimis, domuum ſe culmina, nobis
Eminus objiciunt, ad quam proficiſcimur, urbis.
Moeniaque illius, quam pone relinquimus, abdunt,
Ac demum quamcunque plagam, accedentibus, orbis,
E terrae, pelagique ſinu, ſe tollere ſenſim
Urbes & montes, velutique aſſurgere: retro
Longius avectis, mergi, condique, videntur.
Haec, quae non fierent, niſi major portio terrae
Et pelagi, quandam ſpeciem componeret arcus,
Cujus pars media, aſſurgens ſublimius urbe,
Extremo poſitos, ſpectare vetaret, in uno
Id, quod in adverſa ſegmenti parte locatum eſt.
Arcubus ergo meris, curvaturisque, ſuperne
Definita ſuperficies terraeque, marisque eſt,
Nusquam interruptis; proin ut ſit ſphaera, neceſſe eſt.
Denique, qui totum terrarum, navibus, orbem
Curcuiere, vias, ex legibus omnibus illis,
Direxere ſuas, quae ponunt eſſe rotundam
Tellurem: nec ſe ſenſere errore teneri,
Sed quae compererant ea reſpondere notarunt
Legibus, hanc terrae, quae ſumunt eſſe figuram.
Nec minus umbroſus, tellus quem projicit, orbis,
In faciem lunae, quoties ſolem inter & iſtam,
Se mediam ſtatuit tellus, docet hancce rotundam.

Quippe, nigrum toties, falcemve, rotamve, vel arcum,
Cernimus in Lunae fulgentem invadere vultum,
Hoc mage, five minus, prout fe magis, ifta, minusve
Mergit in umbrofum conum telluris, & abdit.
Jam quod in hanc fpeciem, formatam projicit umbram,
Eft globus: atque adeo tellus, globus ut fit, oportet.
Nec quidquam celfi colles, montesque praealti
Officiunt, quo terra minus fit fphaera, globusve.
Quandoquidem montes, qui nubila vertice lambunt.
Compofiti moli terrae, funt inftar arenae,
Quae grandi, folidoque globo fortaffis adhaeret,
Quin adimat fphaerae fpeciem, vitietque figuram.

FINIS SECUNDAE PARTIS.

Ad Majorem DEI Gloriam.

ERRATA

AD SECUNDAM PARTEM.

COLORES.

Pagina.	*Menda.*	*Corrige.*
6. v. 10.	puoties, - - -	quoties,
19. v. 16.	non pingit; - -	nunc pingit;

SONUS.

30. v. 3.	a pulſo, ſeu - -	a pulſa, ceu
31. v. 17.	hanc - - - -	hunc
36. v. *penult.*	quod - - -	quot
37. v. 8.	Quod ſint - -	Quot ſint
41. v. 22.	elater - - -	elaſter
44. v. 14.	Sed - *expunge.*	
45. v. 20.	elateris - - -	elaſteris
48. v. 10.	obſint - - -	abſint

PROGNOSTICA.

54. v. 1.	Sine baſi - - -	Sine ſundo
58. v. 1.	ludiora, - - -	ludicra.
ead. v. 16.	tatione - - -	ratione
ead. v. 22.	traps - - - -	trabs
62. v. 2.	aut - - - -	at
70. v. 17.	Namque - - -	Nam quae
80. v. 8.	unques, - - -	ungves,
88. v. 14.	Saquentia, - -	Sapientia

FIGURA TERRAE.

93. v, 1.	nigrum - - -	nigram



